

6. 2. num. 34. 8.

25

1699

3

DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA

De

PARITATE RELIGIO-
NIS IN AUGUSTISSIMO
CAMERÆ IMP. JUDICIO
OBSERVANDA.

Quam

PRÆSIDE DIVINO NUMINE.

Ex

DECRETO & AUTORITATE

Magnifici & Amplissimi

LECTORUM ORDINIS,

in Academia Electorali Brandenburgica, quæ
Teutoburgi Clivorum floret

Pro

Summis in Utroque Jure Honoribus, Privilegiis
ac Immunitatibus ritè atque solenniter
consequendis

Publica Eruditorum disquisitioni submittit

CASPARUS THEODORUS SUMMERMAN,
Unnâ Marcanus.

Ad diem mensis Martii, horis locoque consuetis.

DUISBURGI ad RHENUM,

Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi,
Anno M. DC. XCIX.



P. 349



DISPUTATIO ANAETHETICIS
JURIDICA

De

PARITATE RELIGIOSA

IN AUGUSTISSIMO

CAMERE IMP. JUDICIO

FRIDERICI IV. CAESARIS

ARCHIEPISCOPI ELECTORIS

PRÆSIDE DIVINO NUMINE

DECRETO & AUCTORITATE

ACTORUM ORDINIS

in Academia Electorali Halensis, quæ

in Teuburgii Chivorum locis

summa in his que Juris Pontificii &

ac Imperialis sunt, ac in

collegiis

perit. Ex quo etiam in


CASPARUS THOMAS SLAMERUS

Libri Mathematici

Ad hunc modum, hunc locum

per Johannem 2. s. Academicæ Typographiæ

Anno M. DC. XCIX.



SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

D O M I N O

FRIDERICO III.
MARCHIONI
BRANDENBURGICO,
S. R. I. ARCHI-CAMERARIO,
ET PRINCIPI ELECTORI;
BORUSSIAE SUPREMO,
ET MAGDEBURGI, CLIVIAE, JULIAE, MON-
TIUM, STETINI, POMERANIAE, CASSUBIORUM,
VANDALORUM AC IN SILESIA CROSNAE &c.

D U C I

BURGGRAVIO NORICO,
PRINCIPI HALBERSTADIENSI,
MINDENSI, CAMINENSI
COMITI DE Hohenzollern / MARCAE
ET RAVENSBERGAE,
DOMINO RAVENSTEINII, TERRARUMQUE
Lauenburg & Bülow &c. &c.
PIO, FELICI, INCLUTO &c.

PERENNATURAM FELICITATEM.

OS (4) 50
SERENISSIME ET POTENTISSIME

PRINCEPS
ELECTOR,

DOMINE CLEMENTISSIME,



Uod præsentēs hasce
paginas Serenissimo ac-
que Augusto Tuo No-
mini dedicare in ani-
mum induxerim, id à
multis ut ingentis audaciæ & pro-
pemodum temeritatis opus acce-
ptum iri, facile prævideo. Et non
inju-

injuriâ fortassis SERENISSIME
 PRINCEPS, si ab offerente saltem
 ejusque persona rem hanc quis me-
 tiri ac trutinare velit; ingenii enim
 mei vires eò se haud extendunt, ut
 quicquam, quod tam Augusto Prin-
 cipi offerri mereatur, proferre va-
 leant. Verùm si, non attentis hîsce,
 sola materiei atque argumenti quali-
 tas ponderetur, aliud dicendum
 fore confido. De paritate religio-
 nis in Summo Imperii Dicasterio,
 quod ad tempus Wetzlarix refidet,
 observanda heic dissero. Gravem
 isthanc atque arduam materiam, ut-
 pote non ex antiquo Civili Digesto-
 rum & Codicis jure, sed ex publicis
 Imperii Constitutionibus, atque le-
 gibus, ut ajunt, fundamentalibus
 depromptam corroboratamque, cui

A. 3

alii,

alii, quàm TIBI PRINCEPS SERENISSIME, consecrarem, ego quidem non video; atque propositum istud meum inclementer acceptum iri, nemo, credo, de Clementissimo Principe præsumere audebit. Inprimis verò firmiter existimo TE, ELECTOR POTENTISSIME, æquitatem dictæ paritatis inter Evangelicos Catholicosque observandæ summâ sapientiâ cognoscere. Qui enim ista, quæ in durantibus adhuc Comitibus Ratisbonensibus atque alibi de summis ac publicis Imperii negotiis quotidie agitantur, paulò curatius perpendit, facile videbit, quantum POTENTISSIMUS ELECTOR BRANDENBURGICUS, Dominus meus Clementissimus,

fimus, circa paritatem hanc promo-
 vendam hactenus præstiterit. Sci-
 licet religionis illa æqualitas in lau-
 datissimo Camerali iudicio per o-
 mnia nondum observata fuit; Ca-
 tholicis in quibusdam præ Evange-
 licis adhuc prævalentibus. Curam
 hanc TUAM præcipuè credidisti,
SERENISSIME PRINCEPS,
 circa eiusmodi rem emendationem
 atque correctionem urgendi; Cu-
 jus & ea æquitas est ac iustitia, atque
 Tua insuper clementissima volun-
 tas talia perficiendi, ut de futuro
 effectu nemo dubitare aufit. Inte-
 rea perpetuum TIBI est, **AUGU-
 STE PRINCEPS,** religionem
 clementissimè tueri ac defendere,
 quod non solùm humillimi Tui sub-
 diti, verùm omnes quotquot in
 cæteris

Capitulum Theobaldus Summarius

cæteris regionibus inveniuntur Evangelici, imò Catho-
 lici quoque, uno ore mecum confitebuntur. Et ho-
 spitem non in Germania saltem, verùm universa Euro-
 pa, & ulterius adhuc, planè crediderim, quem illa,
 quæ hæctenus à TE, ELECTOR CLEMENTISSIME,
 circa religionem acta sunt, lateant. Sic Gallos propter
 fidem ex patria sua pulsos non saltem clementissimè rece-
 pisti, liberò ipsis in universis TUIS Regionibus concessio
 religionis exercitiò, sed insuper ipsis quoque maxima
 privilegia concessisti. Summam hanc clementiam nu-
 perrimè adhuc Evangelicis ex Alsatia profugis obtulisti,
 quod Edicta clementissima hac in parte satis comprobâ-
 runt. Et infinitum foret, cuncta Clementiæ TUÆ ex-
 empla atque testimonia recensere velle, præstat enim
 Augustam hancce Tuam gloriam tacita admiratione ve-
 nerari, quàm ulteriora verba facere. Quod restat igitur,
 permitte, SERENISSIME ATQUE POTENTISSI-
 ME ELECTOR, ut præsentem hanc de paritate disputa-
 tionem ad pedes Serenitatis TUÆ humillimè deponam,
 Accipe quoque istam clementissimò istò, quò erga sub-
 ditos TUOS humillimos consuevisti esse, animò. Ego
 interea Divinum atque supremum Numen supplex in
 vota vocabo, ut SERENITATEM TUAM ELE-
 CTORALEM commoda valetudine conservet, ac ex
 voto per multos adhuc annos imperare, & cum Sere-
 nissima familia vivere sinat.

SERENITATIS TUÆ ELECTORALIS

Humillimus subjectissimusque servus

Casparus Theodorus Summerman.

C A P U T I.

De Paritate Religionis in Imperio
Rom. Germ. in genere ob-
servanda.

S U M M A R I A.

- | | |
|--|--|
| <p>I. Æ Qualitas in Republ. con-
servanda.</p> <p>II. Maxime verò in Imperio nostro.</p> <p>III. Atque regulariter in omnibus
publicis negotiis & inter omnes
status.</p> <p>IV. Nullo discrimine religionis in-
ter status habito.</p> <p>V. Hec equalitas tamen ante pa-
cem religiosam atque Osnabr.
diu neglecta.</p> <p>VI. Cujus cause adducuntur.</p> <p>VII. Prima Pontificibus Rom. ad-
scribitur.</p> <p>VIII. De origine dominatus Pon-
tificii, ubi de jure Principum
circa sacra in genere.</p> <p>IX. De Johanne VIII. ut & Syl-
vestro II. remissive.</p> <p>X. De temporibus Constantini M.
usque ad Henricum IV.</p> <p>XI. De investitura beneficiorum
ecclesiasticorum circa ista tem-
pora.</p> <p>XII. De temporibus Henrici IV.
atque Hildebrandi usque ad præ-
sentia.</p> | <p>XIII. De investitura circa hæc
tempora.</p> <p>XIV. De Reformatione à Stati-
bus Evangel. facta.</p> <p>XV. Papalis auctoritas hodie in-
ter ipsos Catholicos quodammodo
imminuta est, quod exemplo
novissimi banni probatur.</p> <p>XVI. Secunda causa ex priorè
quodammodo deducitur.</p> <p>XVII. Tertia causa à dissidiis mu-
tuis Evangelicorum sumitur.</p> <p>XVIII. Legibus Imp. exacta equa-
litas rursus introducta.</p> <p>XIX. De tolerantia religionum in
genere.</p> <p>XX. De unitate religionis in Re-
publ.</p> <p>XXI. Schurz in Man. Pacif. dis-
sentiens adducitur.</p> <p>XXII. Quæ in Imperio nostro reli-
giones receptæ sint.</p> <p>XXIII. Reformati sunt veræ &
non mutata A.C. consortes.</p> <p>XXIV. Inter A.C. addictos atque
Catholicos regulariter omnimo-
da pari-</p> |
|--|--|

B

- da paritas observanda est.
- | | |
|--|---|
| XXV. Probatum hoc 1. in genere. | XXXII. Adducitur quoque in hanc rem Artic. 1. in fin. Capitul. Leopold. & Joseph. |
| XXVI. 2. In specie ex variis Recensibus, ubi à Pacificatione Relig. initium fit. | XXXIII. Paritas hac jam antetricennale bellum in Imp. observata. |
| XXVII. Et quidem ex §. dargen sollen 16. Pac. Rel. | XXXIV. Quod probatur 1. de Deputationibus. |
| XXVIII. Deinde ex §. In dem allen 55. | XXXV. 2. De Legationibus. |
| XXIX. Rursum ex §. und nach dem 25. | XXXVI. 3. De Commissionibus. |
| XXX. Item ex Rec. 7. de anno 1566. §. Nachdem dann 72. | XXXVII. Adducuntur contraria. |
| XXXI. Denique ex Instr. Pac. Art. V. §. 1. in fin. | XXXVIII. Ad que responderur. |
| | XXXIX. Schurz in Man. Pacif. refutatur. |
| | XL. Transitus ad caput secundum. |

§. I.

Conditionem Rerumpublicarum paulò penitus consideranti, illud cum primis ad illarum conservationem necessarium occurret, ut omnia in illis æqualitate juris exactè observata fiant procedantve. Et è contrario nullam rem tam societatum civilium interitum accelerare quis deprehendet, quam si decens hæc proportio negligatur. Quid enim Monarchicum statum magis corrumpere, aut etiam in tyrannidem mutare potest, quàm si Rex non Pater Patriæ aut Trajanus, sed Nero vel Domitianus sit? Quæ res senatum in Aristocratica Republ. magis vacillare, vel penitus totam hanc formam destruere potest, quàm si Optimates non tam de regendo, quàm opprimendo populo, cogitent? Quid magis interitum Reipubl. Democraticæ promovere valet, quàm si cives quidam imperiti omnia turbulenter & ineptè nulla ratione ac æqualitate observata expediunt? Quæ denique propior causa dissolvendi & destruendi plures societates civiles fœdere conjunctas est, quàm si Status quidam in societate ejusmodi paulo eminentiores, id quod aliis debetur, sibi solum tribuant? & à communi jure socios excludant? Habent

bent enim hoc corpora moralia cum naturalibus juxta ac artificialibus commune, ut sicut horum sanitas & habilitas ex apta partium inter se harmonia intelligitur, illorum ita firmitas non aliunde quam ex proportione juris æquali & quasi harmonia quadam judicetur. Hinc *Euripides Phœnissis* ait: *illud multo melius est, o fili, equalitatem colere, quæ semper amicos amicis, urbes urbibus, & socios sociis colligat.*

II. Harmonia autem hæc & æqualitas, si in quadam civili societate exigitur, certè in Imperio nostro, utpote systemate plurimum Rerumpubl. inæquali fœdere nexarum, tam necessarium requisitum est, ut absque ea certò certius corruere & ad interitum tendere debeat. Dubium hac de re Germanorum historias vel superficialiter perlustranti esse nequit; novit enim hæc jam suo tempore Italus ille & inter Politicos celebris *Machiavellus*, dum de Statu Germaniæ ita ratiocinatur, *Imperii nostri salutem in equalitate Ordinum, Electorum, Principum, Nobilitatis, Rerumpubl. positam esse; atque nostris Scriptoribus plus quam notissimum est; Citel Friederich* ab *Heerden* in der *Grundfeste des H. R. R.* salutem Germaniæ in eo præcipuè consistere existimat: *Wann die ubralte oder heilsame harmonie des Reichs allenthalben ungekränckt und unveränderlich gelassen: die cives Reipubl. æquali jure censiret / und keinem theil dem andern eintrag zu thuen oder zu nahe zu treten / nachgesehen / sondern dergleichen sich ereügnende Beschwerden in zeiten abgestellet werden.*

III. Equidem præceptum, de æqualitate illa in Imperio mutuò colenda, in omnibus Reipubl. nostræ negotiis, præprimis verò illis, quæ publicum istius Statum concernunt, exactè observari debet. Nam istud in paucis, & saltem in hac vel illa publici Status parte, implevisse, nequaquam satis est. Deinde non solum inter quosdam Imperii Ordines æqualitas hæc colenda, sed omnes quotquot in Imperio sunt Status illius juribus frui debent. Leges enim naturales id cumprimis inculcant, ut inter illos, quibus societas mutua intercedit, jurium quoque æqualis (proportione tamen decenti observata) sit communio, societatem namque, quæ certè inter Ordines Imperii satis arcta est, sinè participatione

communium jurium concipere velle, inauditum foret.

IV. Sive igitur Evangelicæ, sive Catholicæ fidei religionique sint addicti Status Imperii, attamen omnes nihilofecius pari jure gaudere debent, nec ideo isti à communibus juribus arcendi sunt, quod Pontificis auctoritatem venerari & sequi renuant.

V. Ast ab æquitate hac naturali ante pacem Religiosam atque Osnabrugensem immane quantum discessum. Et Evangelici circa prima Reformationis tempora, quando per totam ferme Europam nil nisi Catholici vigeant ritus, non saltem à participatione æqualium jurium in Imperio excludebantur, verum illos nè quidem tolerandos esse, nè gravius quid dicam, undique inculcabantur. Quæ res Rempubl. nostram mirum in modum exagitavit, & ansam maximis malis præbuit.

VI. Unde verò tantum mali, & Catholicorum istud in Evangelicos tum temporis odium plusquam Vaticanum, indeque resultans injustitia atque maxima inæqualitas provenerit, hæc paulò accuratius indagari animus est, nam, tales causas ab originibus suis repetiisse, neutiquam pœnitebit.

VII. Primam autem hujus rei causam Pontificibus Rom. adscribere licebit; hi enim quantum damni intuitu religionis in Rempubl. nostra excitârint, cuivis res priori Seculo gestas vel obiter ponderanti notissimum esse poterit. Infinitum autem foret, circa hanc materiam cuncta recensere velle, quapropter brevibus hoc expedire præstabit. Primum igitur mihi sese offert injusta illa Leonis X. contra Lutherum inauditum annò 1520. emanata excommunicatio, ut & Caroli V. contra eundem in Comitibus Wormatiensibus, suasu ejusdem Pontificis, facta proscripcio. Hinc de extirpandis & delendis hæreticis non solum cum Imperatoribus, verum cum Regibus quoque, Angliæ scil. & Lusitanæ, consilia agitârunt Pontifices. Unde bella orta, variæque clades secutæ sunt, quibus tamen Protestantium religio magis erecta, & per publicas deinde sanctiones omnimodam libertatem atque cum aliis æqualitatem nacta est. Vidit hæc Ipse Imp. Carolus V. dum in literis post Comitibus Spirensia anno 1544. celebrata ad Pontificem Rom. missis scribit; *omnia illa incommoda in quibus tunc Rempubl.*

publ. Christiana versabatur, non à se sed à Papis provenisse, quippe qui haud idem studium ut incommodis illis occurreretur, pro suo statu, gradu & cognitione perfecissent. Prout hæc Pallavicin. Scriptor Catholicus in lib. 5. Hist. Conc. Trident. refert.

VIII. Cum igitur ejusmodi damno atque inæqualitati Pontifices dicto modo causam dederint, hinc non alienum, puto, à libertate præsentis dissertationis fuerit, paucis recitasse, qua ratione Pontifices Rom. ad tantam potentiam pervenerint, & qualis illorum dominatûs origo, quis denique progressus fuerit. Ubi illud primò indubitatum, & non prudentiæ solùm naturali & divinæ, sed civili quoque atque aliis legibus maximè conforme esse existimo, Clericos seculari potestati in Republ. omnino subiectos esse. Hoc enim S. Scriptura aliquoties inculcat. Sic Servator, quicquid secularis regni est, à suo munere penitus separatur Joh. 18. v. 36. Atque Apostoli, se à Magistratu civili nequaquam exemptos esse, subinde profitentur, Matth. 17. in fin. Act. Apost. pass. c. 28. caus. II. q. 1. Conf. Rec. Imp. Spir. de anno 1542. §. 102. Norimb. de eod. ann. §. 24. it. Rec. de anno 1544. §. 34. 35. & de anno 1603. §. 19. Deinde Principis potestas, præter alia, se non tantùm in Clericos, sed in cæteros quoque coetûs Ecclesiastici homines, intra Rempubl. suam, exserit, vi cujus ipsis de cultus divini exercitio, rebusque Ecclesiasticis, imprimis de adiaphoris, leges ferre potest. Atque hæc Impetii pars nomine juris circa sacra communiter insigniri suevit. Quomodo autem hoc jus Pontifices Rom. sibi omni tempore tribuere tentaverint, & quantum in eo hucusque perfecerint, jam plenius dispiciendum erit.

IX. Equidem animus mihi non est in vitam Rom. Pontificum, & quales hi moribus atque conditione fuerint inquirere, rem enim prolixam nimis eò modò, & haud necessariam quoque susciperem. Mitto igitur Johann. VIII. Pontif. historiamque illam quam Scriptores quidam de tali Papa referunt vid. Platina in tract. de vitis Pontificum Rom. circa vit. dict. Pontif. Quem Historicum eo majori fide, ipsis etiam Catholicis, dignum existimaverim, quod iste non solùm Catholicæ ipsorum religioni addictus, verùm Apostolicus quoque

Abbreviator fuerit, sicut ex libro *Johan. Tritemii Abbatis Spanheimensis de Scriptor. Eccles.* apparet. Mitto quoque Sylvestrem II. & illa quæ de ipso quidam enarrant vid. *itidem cit. Plat. circa vitam hujus p. 163. & seq. secundum editionem Colonienf. de anno 1600.* Præterea inquam isthæc omnia, utpote à proposito præsentis aliena, & aliis quoque fusè tractata. In primis videri poterit de hisce *cit. Platina per tot. Chron. Carion. passim & Auctor des Vientorbs part. 6. cap. 3. cum aliis ibid. alleg.*

X. Missis igitur ejusmodi minus necessariis ad ipsam rem, dominatûs scil. Papalis originem, methodo certa tractandam, duo intervalla & tempora, primum à Constantino M. usque ad Henricum IV. & secundum ab hoc usque ad præsentia tempora constituam. A Constantino itaque M. usque ad Henricum IV. Imperatores liberrimum semper circa sacra Imperium exercuerunt, & pro arbitrio suo de Clericis, de Episcopis, de horum audientia, de ipsis Pontificibus Maximis, de Ecclesiis eorumque beneficiis, de omni denique re Ecclesiastica leges ac jura dederunt. Res hæc probatione quidem indiget, sed facillima hæc est. Sic sancita ejusmodi usque ad Justinianum ex *Codice Theodosiano atque Justiniano, item Novellis*, affatim demonstrari possunt. *Evolvatur tit. C. de SS. Trinit. de SS. Eccles. de Episc. & Cler. de Episc. aud. l. 10. C. de LL. & passim.* Post Justinianum sequentes Imperatores jure hoc circa sacra semper usi sunt, atque vigore istius Præsules Rom., ipso tamen Clero & populo petente, constituere. Confirmat hæc satis ipse Papa Gregorius, in *variis suis Epistolis, de obedientia erga Imperatorem & de nomine universalis Pape in Ecclesia Catholica non usurpando*, quas producit Goldastus in *Monarh. S. Rom. Imp. tom. 2. fol. 21.* Epistolas hæc & alia Gregorii scripta ferre haud potuit successor ipsius Sabinianus I. nihil aliud quàm primatum animo volvens. *Platina in hujus vitæ p. m. 84. ita inquit: Homo (Sabinianus) obscuro loco natus, obscurior moribus, rebus gestis Gregorii viri Sanctissimi adversatus est. Paululum etiam absuit, quin libri ejus (Gregorii) comburerentur, adeò in Gregorium irâ & invidia exarserat homo &c.* Hujus successor demum Bonifacius III. primatum hunc ad effectum perduxit, quò

xit, quò temporibus istis turbulentis, occiso à militibus Mauri-
tio, & Phoca in Imperatorem electo, facilis ipsi via sterneretur.
Non defuerunt tamen hæcenus, qui primatum hunc publicis scri-
ptis oppugnarunt, inter quos præ cæteris legi meretur *Nilus Ar-*
chiepisc. Thessalon. de Primat. Papæ Rom. ap. Goldast. de Mon. S.
Rom. Imp. tom. 1. fol. 30. Et egregiè quoque contra ejusmodi pri-
matum disputat *Barlamus Monachus in libello de Papæ Principatu*
itid. apud Gold. cit. loc. fol. 243. seqq. Quicquid tamen sit, Pon-
tifices omnes insequentes, non obstante hoc primatu, ab Impe-
ratoribus ad Henricum IV. usque omni tempore constituti sunt,
prout sæpe cit. *Platina passim* comprobatur; imo quidam Pontifi-
cum ex legitimis causis ab Imperatoribus depositi fuere. Sic ab
Ottone I. Pontificatu motus est Johannes XIII. prout Scriptores
Catholici unanimiter ferè tradunt. *Vid. illa quæ Platina circa vi-*
tam huj. Pontificis p. m. 156. de morte ipsius insuper commemo-
rat: *Benedictus V. itidem ab eodem Ottone sede papali pulsus est.*
Platin. p. m. 156. Compositis autem hoc modo rebus Otto in Germa-
niam rediens, secum *Benedictum ipsum duxit, qui non multo post*
dolore animi apud Hamburgum moritur, ubi relegatus erat. De
Bonifacio VII. similiter justissimè sede papali privato *vid. eund.*
Platin. p. m. 159. Vide quæso quantum degeneraverint hi Pontifices
à majoribus suis, qui hanc *Rempubl. Christianam tam amplam,*
tamque magnificam suo sanguine nobis reliquere. Pontifex Rom. Sa-
crorum Pater & Rex, sacra ipsa furtò abstulit: & qui vindicare
sacrilegia debuerat, tanti Sacrilegii factus est auctor &c. De Johan-
ne XVIII. *Id. p. 163.*

XI. Infinitum nimis foret, omnia ista exempla recensere velle,
quibus hocce tempore exercitium jurisdictionis circa Sacra Im-
peratorum in ipsos etiam Pontifices probatur. Brevibus saltem
adhuc enumerabo, quomodo dicto tempore à Constantino scil.
nsque ad Henricum IV. investitura beneficiorum Ecclesiastico-
rum ab Imperatoribus semper facta fuerit. Remissivè verò &
quasi per indicem hoc expedire licebit. Primum igitur ipsi Ca-
nones *in c. 3. c. 9. & seqq. Dist. 63.* hoc expressè inculcant. *Vadian.*
S. Gall. de Colleg. & Monast. Germ. lib. 1. apud Gold. Rer. Alem.
tom. 3.

tom. 3. fol. 10. *Nec ecclesias, ait, nec Collegia fundari solita fuisse, nisi Principis consensu. Nec tum erat Papæ jus illud comprobationis, quàm investituram vocant, sed Imperatoris.* Deinde *Sigeb. in Chron. ad ann. 1111.* tale quid à Carolo M. ultra 300. annos obtinuisse refert. Atque ex annalibus constat, omnes ArchiEpiscopos Bremenses hucusque à solis Regibus baculô & annulô investitos fuisse. *Adam. Brem. Hist. lib. 2. cap. 1. & passim, Alb. Stad. Chron. in ann. 1032. & ann. 1043.* Adeò ut Reges Germaniæ jus hoc investiendi Episcopos, ceu jus suum regale, Principibus Imperii in feudum dederint, qui & absque contradictione eò usi sunt, uti *Dux Bavarix Luitpr. Hist. lib. 2. c. 7. Duces Saxonix Helm. Chron. Slav. lib. 1. cap. ult. Conf. omnino Excellent. Dn. Coccejus in Juris Publ. Prudent. cap. 18. n. 10. seqq. ubi optimè, qua ratione hòc spatiò Prelatorum & res & auctoritas creverit, exponit.*

XII. Hæc de Imperatoribus atque Pontificibus usque ad Henricum IV. & Gregorium VII. Hildebrandum antea nominatum. Hic Pontifex & Successores majora contra Imperatores ausi sunt. Initiò quidem Gregorius confirmationem Pontificatûs ab Henrico petiit, eandemque etiam consecutus est. *Platina in vita ejus p. 176. Tandem verò multis legationibus ultro citroque missis Imperator in gratiam cum Gregorio rediit, eundemque in Pontificatu confirmavit, ut tum Imperatorum mos erat.* Verùm postea in tantum Papæ hujus excrevit licentia, ut ipsum Imperatorem prætextu Simonix excommunicare, inauditò hæctenus exemplò, non erubuerit. Imò excommunicatio hæc, non attentata absolute impetrata, deinde repetita, adeò ut filius quoque Henrici in patrem concitatus fuerit, & Rex mox Imperiò, tandem etiam vitâ miserrimè cesserit. *Historiam & Acta vid. ap. cit. Auct. atque Goldast. Const. tom. 1. ad ann. 1076. usque ad ann. 1109.* Jam Pontifices Rom. & Itali illud unicè intendebant, ut non jus solum circa sacra, sed Secularem quoque potestatem sibi attribuerent, quod illis temporibus ob negligentiam Imperatorum non ita difficile erat. *Optimè Platin. in vita Formosi I. p. m. 144. Verùm nescio, inquit, quò fatò accidisse dicam, ut unà cum industria Imperatorum,*

peratorum, simul etiam Pontificum virtus & integritas defecerit: qua quidem tempora infelicissima esse arbitror, cum auctoritate Platonis tales soleant esse reliqui cives, quales sunt in Republ. Principes. Convenit eapropter inter Italos, ne quisquam à Laicis investituram acciperet, quod pro Synodali Decreto affertur in c. 12. seqq. caus. 16. q. 7. Hoc tempore quoque ferè incipiunt Decretales, quæ vulgato Proverbio causam dederunt: *Malè cum rebus humanis actum esse, ex quo Decretis ala accesserunt*; referente hoc Francisco Duareno tr. de Sacris Eccl. Minister. in Prefat. p. m. 25. Cardinales quoque tum emergere, sibi que solis tandem electionem Papæ tribuere.

XIII. Quoad investituras hinc variè certatum & transactum. Prima transactio fuit inter Henricum V. & Paschalem, ut ille huic investituras; hic illi omnia Regalia & jura secularia Episcoporum cederet vid. Goldast. Const. tom. 1. ad ann. 1110. fol. 252. & ad ann. 1111. fol. 256. &c. Meibom. Rer. Germ. tom. 3. Dissert. de Jure Inv. Episc. fol. 157. Sed hoc pactum retractarunt Episcopi Italiæ, unde Rex armis Romam adortus Paschalem cepit. Alterâ transactione inter eosdem initâ ac jurejurando firmatâ Regi jus investituræ liberum relictum fuit. Goldast. cit. loc. fol. 253. seqq. Cum verò Papa & Episcopi Italiæ in Concilio apud Lateranum habito pactum hoc tam sanctè initum, sub metûs prætextu revocarent, tandem Imperator impatientiâ ductus, & impar quoque tot difficillimis expeditionibus cedere compulsus, actumque fuit, ut beneficia Ecclesiastica Pontifex; eorum Regalia per sceptrum Rex daret Meibom. d. tom. 3. fol. 178. 179. Non pauci quidem Imperatores post Henricum V. eximiam hanc majestatis partem, jus scil. circa sacra, & inde dependentes investituras beneficiorum Eccles., vindicare conati sunt, & quidam eorum satis strenuè Imperii causam egerunt; ast in pristinum statum rem revocare nulli sat virium fuit. Hinc varia gravamina Nationis Germanicæ edita, quorum quædam interventu Friderici III. per concordata sopita sunt, quæ Notis illustrata produxit Dn. Schilterus, suisque Instit. 7. Can. adjecit.

XIV. Status igitur Evangelici hactenus reformationem istorum defectuum

C

defectuum

defectuum frustra urgentes, ipsi vigore potestatis suæ Regalis in provinciis suis reformare cœperunt, remque hanc, secundante Divino Numine, ad præsentem statum promoverunt *Conf. Dn. Coccej. cit. cap.*

XV. Felices igitur sumus, quod ad illud jam per Dei gratiam pervenimus tempus quò dominatus Pontificis non quoad Evangelicos tantum penitus est sublatus, sed quò inter ipsos quoque Catholicos Papalis ista auctoritas paululum diminuta est. Cujus dilucidum exemplum præbere poterit bannum istud à Camera Imp. in contumacem Waltherum Counotte, non obstante primâ ipsius tonsurâ, latum atque publicatum. Rumor enim tum temporis de excommunicatione quadam Papali contra Augustissimum Camerae judicium Wetzlaræ publicè circumferebatur, imò prædicta Pontificis excommunicatio ab emissario Clerico Leodiensi quibusdam ostendebatur. Verùm Fiscalis Cæsareus Dominus ab Emerich, vir aliàs Catholicæ religioni strictè satis addictus, ad declinandos tales minaces ausus, in Recessu quodam desuper habito, & jam publicis typis impresso, ejusmodi excommunicationem, non solùm abusivam & scandalosam vocavit, sed ipsas quoque excommunicationis schedulas, sicubi affigerentur, abrumpi petiit. Atque bannum ipsum spretis minis excommunicatoriis à laudatissimo Cam. judicio decretum, prout actum ejusmodi Denuntiationis die 7. Julii præcedentis anni Wetzlaræ in loco publico atque sub cœlo celebratum ipse oculis meis vidi.

XVI. Hæc de prima causa. Secunda causa mali in Germania intuitu religionis orti & hinc resultantis inæqualitatis ex prima quodammodo fluit, & hæc potissimum erat, quod Imperatores nobilissimæ majestatis partem, jus scil. circa sacra, neglexerint, idque Pontificibus Rom. prædictò modò reliquerint; ex quo magna incommoda non poterant non oriri. *Conf. Platin. cit. supr. loc. p. m. 144.* Ut jam de Ferdinando I. ejusque averfo planè à Protestantium doctrina animo, ut & de Ferdinando II. ejusque Edicto de restituendis bonis Ecclesiasticis nihil addam.

XVII. Tertiò ipsimet Protestantes mutuis inter sese altercationibus non leve dispendium, suis rebus intulerunt, frigidam ad hoc

hoc suffundente Pontifice. Cùm enim à Pace Religiosa exclusi essent, qui neque Augustanam neque Catholicam fidem sequerentur, hinc ad Reformatos Augustanam confessionem nihil spectare, Lutherani eidem simplicius addicti credebant. Accedebat Sacerdotum quorundam ex Lutheranis nimius fervor, ut facerri- mi, si Diis placet, istorum libelli, *Sieber Türckisch alsß Calvi- nisch* & alii similis farinae, satis testantur. Hinc factum, ut utraque pars seorsim suas rationes habere inciperet: ac cum Re- formati à Catholicis premerentur, Lutheranorum nonnulli tacitè eos pereuntes spectarent, imò auxilia quoque in eosdem submit- terent *Conf. Pufend. in Histor. Suec. lib. 7. §. 43. & 44. & Mon- zamb. de Stat. Imp. Germ. cap. 5. §. 12.*

XVIII. Hæ fuere causæ, quod ante Pacis Religiosæ & Osna- brugenſis tempora, tam iniqua Evangelicis illata fuerit conditio. Ast per dictas illas leges inæqualitas hæc correctæ, & paritas in- ter Evangelicos & Catholicos exacta introducta est. Quod si hæc sancita utrinque justè observarentur, neque una pars præ alia deteriori jure haberetur, certè per id multas in Imperio di- scordias evitari, & perpetuam harmoniam induci posse, firmiter mihi persuadeo.

XIX. Non enim iis assentiri possum, qui tolerantiam plurium Religionum in Republ. necessariò turbarum causam esse existi- mant. Quapropter fugiendum penitus est dogma istud *Pallavi- cini in Hist. Conc. Trid. lib. 3. cap. 10.* quò, quando Ecclesiis Ger- manix in *Rec. Imp. de anno 1532.* prima libertas asserta, hoc præ- ceptis prudentiæ civilis adversari assertit; *ideo quod hæc indulgentia invertat Religionem in quoddam chaos, in Atheismum, in bestiarum mores, obedientiam in contumaciam unius, & optimorum regimen, in popularium plurimorum dominatum.* Nam turbas intuitu reli- gionis in Imperio excitatas neutiquam ab Evangelicis, originem traxisse, in superioribus satis commonstratum fuit; neque enim confessio Augustana, seu fides Reformata & Lutherana, religio- num chaos quoddam continet, neque atheismum docet, neque bestiarum mores intendit: multò minus obedientiam, quam su- perioribus debemus, in contumaciam unius pervertit.

XX. Falsum itaque principium istud Politicum est; *ad felicitatem Rerumpubl. maxime pertinere, ut in iis sit unitas sententiarum circa doctrinam fidei.* Respublica enim pro fine tranquillitatem civilem, fides verò animæ salutem habet. Principem igitur, præter tranquillitatem in Societate civili promovendam, ad fidei quoque unitatem introducendam adstringere velle, iniquum valde foret. Et licet ponamus, Principem de æterna Subditorum salute sollicitum quoque esse debere, tamen ejusmodi intentionem absque opinionum unitate circa fidei dogmata feliciter assequi posset. Imo unitatem talem impossibilem propè dixerim *cum Celeberrimo Domino Thomasio in Not. ad Monzamb. cap. 7. §. 9. lit. l. p. 377. & ad cap. 8. §. 10. lit. t. p. 434.*

XXI. Quapropter *cum Schutzio in Man. Pacif. quest. 3. religionum diversitatem inter Imperii Status non adeò deplorandam esse censeo; nam quod putat, neminem Deum amantem illi firma societate conjungi posse, quem ipsum quod colimus Numen haud decenter colere credit, ac sententiâ animi, tanta in re, quanta est Deus salusque nostra, à se dissentire intelligit, illius contrarium mihi persuadeo, prout istud quoque demonstrat Heydenus Borromæus Riccruntus, sub quo nomine latere voluisse videtur Henricus Brucknerus, in Not. ad cit. Schütz. loc.* Atque per varia exempla opinio isthæc fatis refutatur. *Hornius in Orb. Polit. cap. 2. can. 15. p. m. 96.* præcipuum totius Regni Galliæ robur atque munimentum in libertate Religionis, maxime verò Reformatæ, ponendum esse existimat. Et nemo, puto, hoc negaverit, præprimis quando ista, quæ *Card. Bentivol. ex anno 1619. in suis Relationibus* tradit, considerantur, scil. Reformatos numerum 15. millionum habitantium eo tempore in Gallia circiter superâsse. Quantum verò damni per nuperam Reformatorum expulsionem in prædictum Regnum redundet, alii judicent. Ità Galliæ vicina Helvetia tam Evangelicos, quàm Catholicos æquali sorte alit, at Rempubl. istam capropter infelicem deprædicare velle maxime erroneum foret. Belgium quoque hac in re tam æquum est, ut ibidem credendi & non credendi, magna sit licentia. Ipsi Turcæ etiam tolerantiam multarum confessionum maxime amant; & suæ

& suæ Reipubl. omnino inservire existimant. Prout *Camera* hoc memorandò *Solymani exemplò in horis suis succis.* comprobat.

XXII. Quæ autem per dictas Constitutiones religiones in Imperio receptæ sint, non adeò difficile est definire; dubiò enim planè caret Reformatos, Lutheranos atque Catholicos sub pace sacra comprehendi, alias verò sectas penitus excludi *Vid. Art. VII. I. P. Osnabr. ibi: præter Religiones supra nominatas &c.*

XXIII. Illud autem prioribus temporibus quæri cœperat: an *Reformati A. Confessioni addictis jure annumerari, & hinc pacis religiose participes esse debeant.* Scilicet tanta olim erat quorundam ex Lutheranis audacia, ut illos, qui à Compendiis ipsorum Theologicis atque Systematibus in paucis saltem abirent, haud tolerandos esse publicè divulgarent. Hinc Reformatorum Augustanam confessionem variatam, imò illos sub Pace Religiosa planè non comprehendi existimarunt, in tantum ut olim inter Dubia *Camera* super Pacem Religionis illud referendum esse quidam considerarint, an scilicet Reformatis in Imperio Processus decernendi sint, prout videre hoc licet *apud Lehman. de Pac. Relig. l. 3. cap. 30. Conf. Mylerus ab Ehrenbach de Princip. & Stat. Imp. part. 2. cap. 83. §. fin.* Verùm non defuere, etiam ex ipsis Lutheranis, qui satis superque demonstrarunt, Reformatos ante Instr. Pac. Osnabrugense religiose pacis participes fuisse, quod præter alios evincit *Klock tom. 2. Consil. 29. num. 51. item Dn. Thomas ac Dn. Breneysen in tract. vom Recht Evangelischer Fürsten in Theolog. Streit. 2c. posit. 18. §. 6.* Et cum prioribus temporibus quæstio non de receptione Reformatorum in pacem sacram, sed de exclusionem eorum fuerit, res hæc eò minus dubii habet; exclusio enim, quæ certè inclusionem præsupponit, nunquam pervinci potuit. Quò autem Reformati hujus rei eò certiores redderentur, omne dubium per *Instr. Pac. Osnabr. art. 7. §. Unanimi I.* penitus sublatum est, *Conf. Dn. Schilter in dissert. de Terminò à quores. bon. Eccles. §. 7. p. m. 6.* non attenda Saxonum adversus ista verba, *Unanimi Casareæ Majestatis, omniumque Ordinum Imperii consensu,* interposita protestatione, de qua *vid. Lundorp. in Act. Publ. ad ann. 1648. lib. 3. cap. 236. Conf. quoque B. Pufendorf. de Re-*



bus Gestis FRIDERICI WILHELMI MAGNI. lib. 2. §. 69. Fuere equidem, qui post pacis hoc Instrumentum asserere non dubitarunt; Reformatis quidem per istud æquale cum aliis jus asser-tum; attamen illos pro A. C. consortibus æstimari haud posse. Verùm & hisce *in cit. Art. VII.* per verba *inter illos* quæ ad proximè præcedentia *A. C. addictis* trahi debent, satis occurritur. Et quanquam *Borrom. Riccrunt. in Not. ad Man. Pacif. Schurzii quæst. 4. & Dn. Pfanner. in Histor. Pac. Germ. Gallô-Suec. lib. 5. §. 48. & seqq. atque alii* isthæc verba *inter illos* non ad solos A. C. addictos, sed etiam simul ad Catholicos referenda esse existiment, attamen falsum istud esse, atque cum bonæ interpretationis regulis planè pugnare, facili quis videbit operâ; ità enim inter Catholicos quosdam esse, qui Reformati vocentur, ex ejusmodi explicatione necessariò sequeretur. In Camera autem omne dubium circa hanc rem discussum, ibique Reformati sub A. C. consortibus comprehenduntur; prout observat quoque *Sprengerus in Elychnia accensa p. m. 5.*

XXIV. Hisce præmissis illud jam mihi probandum maximè incumbit, inter A. C. consortes atque Catholicos omnimodam paritatem in gerendis Imperii nostri negotiis observari debere; nisi in aliquibus exceptiones liquidò demonstrantur. Et cum in superioribus hanc paritatem ex ipsa societatis indole & Juris Naturæ principiis quadantenus extruxerim in præsentiarum illam ex publicis Imperii Constitutionibus, variis nimirum Recessibus, atque saluberrimo Pacis Westphalicæ Instrumento, luculenter satis atque firmiter evincam.

XXV. Et quanquam non adeò necesse sit speciales textus ex Constitutionibus Imperii hanc in rem adducere, iisque sententiam meam corroborare, cum ex fine omnium ferè Recessuum Religionis causâ initorum, maximè verò Pacificationis Religiosæ, juxta ac Instrumenti Pacis, satis appareat, scopum paciscentium illis temporibus nullum alium fuisse, quàm ut æqualitas & concordia inter Evangelicæ & Catholicæ Religionis Status conservertur; attamen juyabit in specie quædam loca ex Imperii Recessibus demonstrasse, eo præsertim fine, ut præsens hæcce disputatio firmiori nitatur fundamentò.

XXVI. A pa-

XXVI. A Pacificatione Religiosa autem paritatem hanc deducere animus est, nam altius rem istam repetere velle, non adeò consultum fore arbitror. Quapropter Recessum de anno 1532. qui apud Hortled. lib. 1. de *Caus. bell. Germ. cap. 10. seq. extat*, in præsentiarum mittam, utut Hortled. cit. loc. & Dn. Schilter. in *tract. de Libert. Eccles.* istam primam omnium religionis pacificationem, non injuria equidem, venditent. In isto namque, ut & sequentibus ad annum usque 1555. Recessibus, religio Evangelica publicè quidem introducta, ast de paritate expressè in istis nihilquicquam dispositum reperitur. Quod ipsum multis dissidiis ansam præbuit, docente hoc *Recessu de anno 1555. § In solcher fürgezogener 13. in verb. Welche aber zu erhaltung des friedens 2c.*

XXVII. In Recessu itaque hoc de anno. 1555. circa paritatem plenius rebus Evangelicorum prospectam. Aperta hanc in rem sunt verba in §. *Dargegen sollen 16. in quo inter utriusque Religionis Evangelicæ & Catholicæ Status æquale jus seu paritas hæc non obscure firmatur.* Atque ob eam causam Judici ac Assessoribus in Camera Imperiali injungitur: *Das Sie sich diesem friedstand gemäß halten und erzeigen / auch den anruffenden Partheyen darauff ungeacht welcher der obgemelten Religion die seyn gebühliche und nothürfftige hülff des Rechts mittheilen sollen.* Quæ omnia paritatem inter A. C. consortes atque Catholicos satis comprobant.

XXVIII. Atque hæc adeò clara sunt, ut prolixiori demonstratione haud indigeant, in superioribus enim dictum est, inter Reipubl. Status regulariter paritatem statuendam, inæqualitatem autem, nisi evidentissimè probetur, neutiquam præsumendam. Et hoc Juris Naturalis & Gentium sancita exigunt. Catholicis igitur in Imperio nostro, si sibi plus, Evangelicis verò minus per hunc Recessum aliasvè Constitutiones tributum esse velint, imparitatem talem, utpote in facto consistentem, liquidò ostendant, atque heic à jure Naturæ & Gentium discessum esse legitimè probent. Ast *sape dicta Pacificatio Relig. de anno 1555.* istorum intentioni directè adversatur; in ejusdem siquidem §. *In dem allen 55. discretis verbis tam Catholicis, quàm Evangelicis injungitur, ut eò modò*

modò invicem vivant, quemadmodum Naturæ & Gentium jura exigunt: Daß sich ein jeder dermassen gegen dem andern erweisen soll / wie Er vermög der Natürlichen / Völcker und Gemeinen Rechten zu thuen schuldig und verbunden ist.

XXIX. Et quid in re tam aperta, tamque evidenti verbis opus est? In §. und nachdem 25. dict. Recess. paritas per id satis introducitur, dum Pacem Religiosam illimitatam, & absque ulla reservatione ac conditione initam esse, expressè asseritur: Und soll also hiemit obberührter gestalt / und sonst in alle andere weg / ein beständiger / beharrlicher / unbedingter für und für ewig wärender fried auffgericht und beschlossen seyn und bleiben. Quæ verba unbedingter fried ità clara & perspicua sunt, ut omnem omnino imparitatem, atque inæqualem interpretationem uno ictu profligant.

XXX. Prolixum nimis foret, omnes sequentes Recessus in evincenda paritate hoc modo percurrere velle. Sufficiat igitur potiora saltem circa præsentem materiam subjunxisse. Præ cæteris autem heic se commendat *Rec. August. de anno 1567.* utpote ex quo paritas inter utriusque Religionis Ordines in Imperio observanda clarè satis elucescit; pacem namque ac tranquillitatem Rom. Imp. absque æqualitate omnium jurium haud diuturnam esse Maximilianus II. in §. Nachdehm dan der gemeine frieden 72. dict. Recess. apertè profitetur: Es ist der gemeine friede im Reich Teütscher Nation in Religion und Prophan Sachen ohne beständiges gleichmässiges Recht nicht zu erhalten. Et hisce verbis beständiges gleichmässiges Recht paritas hæc satis firmatur. Imo Status atque Ordines Imperii eam Reipubl. nostræ adeo necessariam in dicto Recess. judicant; ut, illa etiam ad tempus exulante, Reipubl. quoque corruere existiment: Hæc & similia satis prævidit atque ponderavit *Francisc. Patritius lib. 3. de Republ. tit. 2.* unde & Germaniam nostram definit, *quod sit animal immortale quod nunquam moritur, nisi sibi ipsi vim inferat, mortemque sibi consciscat.* Summa itaque ope, eò anniti deberent Ordines Imperii, ut unitas atque æqualitas in Reipubl. nostra quantum possibile conservetur. *Conf. sæpe cit. Rec. 7. de anno 1555. § Und nachdehm*

dehm in vergleichung 25. *in verb.* Das hochschädliche Mißvertrauen im Reich aufzuheben; und diese löbliche nation vor endlichem vorstehenden untergang zu verhüten.

XXXI. Instrumentum denique Pacis Osnabr. tam clarè, tamque luculenter paritatis hanc observantiam Reipubl. nostræ Proceribus injungit, ut omnem ulteriorem dubitationem penitus tollat. In *Art. V. §. 1. in fin.* hæc verba habentur: *In reliquis omnibus inter utriusque Religionis Electores, Principes, Status, omnes & singulos sit equalitas exacta mutuaque, quatenus formæ Reipubl. Constitutionibus Imperii & præsentì conventioni conformis est, ITA UT QUOD UNI PARTI JUSTUM EST, ALTERI QUOQUE SIT JUSTUM, add. §. 35. d. Art. V.*

XXXII. Et hinc est, quod Evangelicis quoque æqualem cum Catholicis clientelam ac protectionem Imperatores in Capitulationibus promittunt *Vid. Capit. Leop. & Joseph. art. 1. in fin.* Quod & se facturos jam olim in *R. I. de anno 1566. §. Und nachdehm 6. & de anno 1582. §. Welche von wegen 9. aliisque professi sunt.* Ex quibus satis patescit, omnia jura quæ Catholicis competunt, Evangelicis; seu Reformatis atque Lutheranis, haud esse deneganda, sed illos quoque ad æqualem istorum participationem omnino concurrere debere. Unde *Carpz. Comm. in L. Reg. cap. 3. sect. 10. §. 46.* à Catholicis ad Evangelicos in hoc passu valide duci argumentum rectè existimat, ut quod illis competat, his non sit denegandum vel auferendum.

XXXIII. Atque hæ, de paritate inter utriusque Religionis Cives in Imperio observanda, constitutiones saluberrimæ, jam olim ante funestum istud tricennale bellum magna ex parte observatæ fuere, in illis præprimis negotiis, ex quibus uni vel alteri parti præjudicium quoddam resultare poterat.

XXXIV. Sic quoties ante ista tempora de Deputationibus instituendis in Recessibus Imperii quædam sanciantur, observare ibi licebit, religionis paritatem in istis planè non fuisse neglectam *Vid. Rec. August. de anno 1559. §. Wo wir alsdann 10.* Hodiernis verò temporibus res hæc, de paritate religionis inter Deputatos Imperii observanda, extra omnis dubitationis aleam

D

posita

posita est, prout ex *Instr. Pac. Osnabr. Art. V. §. 51. & R. 7. de anno 1654. §. Den zweyten puncten 191.* abundè satis apparet. Quamquam *Sprengerus in Fontibus suis Juris Publ. cap. 23. p. m. 262.* in hisce Deputatis modicam inæqualitatem religionis adhuc comonstret. Hæc verò religionis æqualitas inter Deputatos, non tum saltem observanda est, quando causa ab ipsis tractanda, religionem concernit, verùm tum quoque, si ejusmodi causa merè secularis sit. *vid. alleg. §. 191. R. de anno 1654.*

XXXV. In Legationibus quoque superioribus jam temporibus paritas personarum ex utraque religione exactissimè observata fuit; cujus exempla, si instituti ratio huc saltem tenderet, affatim heic adducere possem. Ast sufficiat tantummodo magnam istam legationem olim ad Belgas mittendam circa præsentem materiam allegasse. In ista enim parè utrinque numerò religionis legatos constitutos esse *ex Rec. Imp. de anno 1594. §. Darauff dann Churfürsten. 44.* satis superque liquet. Quod idem repetitum *in Rec. de anno 1598. §. Und ob wir wol 27. & §. Dieweil aber ungeachtet 50. nec non in Rec. de anno 1603. §. Nichts destoweniger 30.*

XXXVI. Commissarii, quando olim ad specialem quendam actum ab Imperio designabantur, istud etiam, eadem paritatis ratione attenda, factitatum esse, nemini publicarum in Imperio nostro rerum vel in paucis gnaro ignotum esse poterit. Sic Ordinationi Camerali examinandæ atque secundum jura tum novissima corrigendæ in publicis Imperii Comitibus præficiendos ex utraque religione Evangelica scilicet & Catholica pares eligi debere *in Rec. 7. de anno 1598. §. Wir seind auch hierbey 69. item in R. de anno 1600. §. Biewol wir uns nun 4. disertè satis fancitur.* Et quando circa annum 1603. in Comitibus Ratisbonensibus Circulo Westphalico certa pecuniæ summa, in compensationem atque solatium mali ac damni præ aliis ipsi illati, adsignabatur, ejusmodi pecuniæ in necessarios dicti Circuli usus erogandæ, duos, Evangelicæ atque Catholicæ fidei addictos, Commissarios constituendos esse, *in Rec. dicti anni 1603. §. Indehm wir gleichwol 38.* necessarium existimatum fuit. Imò, cum anno 1557. controversias religionum amicabili placidaque compositione dirimere placeret,

placeret, ad id non solum Commissarios, & eorum Adjunctos, sed Notarios quoque pari utriusque confessionis numero eligendos esse, isto tempore in *Rec. cit. anni 1557. §. Diweil auch 18.* expresse sancitum legitur.

XXXVII. Satis jam ni fallor religionis paritas tum ex ipsis Juris Naturæ & Gentium Principiis, tum ex publicis Imperii Constitutionibus, firmata fuit. Adducenda in præsens sunt ea, quæ contra æqualitatem isthanc à quibusdam in medium afferri solent. Primarium autem illorum argumentum ab antiqua possessione desumptum invenio; huic fundamento alia superimponunt; Scilicet *religionis paritatem tantummodo in casibus determinatis atque in Publicis Imperii Constitutionibus expressis statuendam, in ceteris antiquum possessionis jus Catholicis relinquendum.* Hinc instantiam rem hanc refutare aggrediuntur; isthòc enim modò dicunt, *Imperatorem quoque Evangelicum eligendum, vel simul Condirectorem Imperii ejusmodi religionis constituendum esse.*

XXXVIII. Verùm enim verò salva adhuc religionis paritas est & manet, neque per isthæc argumenta retunditur. In prioribus namque probatum, paritatem hanc & æqualitatem per leges Imperii expressas constitutam esse, hinc contra ejusmodi jura allegata possessio, quæ legale semper requirit initium, vires vel effectum acquirere haud poterit. Nam & superiorì seculò circa prima Reformationis tempora Catholici in recuperandis bonis Ecclesiasticis possessionem necquicquam opponebant, jure aperto scilicet tali petito resistente. Unde & sequens principium, *Evangelicis saltem æqualitatem in casibus expressis concedendam* corrumpit. Constitutiones namque & Recessus Imp. hanc religionis paritatem in genere constituere, superius, abundè demonstratum fuit. Quapropter isthanc regulam hòc modò invertendam existimaverim: *inter utriusque religionis Ordines regulariter, ac in universum paritatem talem obtinere, nisi in casibus quibusdam expressis exceptio, inæqualitatem aliquam suadens, demonstretur.* Quod verò instantiam à Cæsare atque Augustissimo Imperii Capite desumptam attinet, tantâ sacratissimam Imperatoris personam devotione veneror, ut de ipsius Electione judicium quoddam ferre, homo ego privatus



vatus meritò subterfugiam. Hæc tamen licebit reponere; Postquam hæcenus ex Serenissima Austriacorum Gente Principes ad Imperiale solium promoti sunt, id nequaquam putandum ideo factum esse, quod tales Catholicam fuerint professi religionem, sed potius quod salus & utilitas Imperii publica, tanquam suprema lex, hoc dudum efflagitaverit. In quonam autem salus isthæc Imperii consistat, heic non opus est inquirere, inprimis cum ad præsentem materiam ejusmodi quid non spectet, & Juris Publ. Scriptores fusè satis hoc enarrare soleant. *Vid. hac de re Arniseus lib. 2. Relect. Polit. cap. 2. sect. 5. n. 6. & seq. Limn. de Jur. Publ. lib. 2. cap. 3. n. 6. item Reinking de Regim. Secul. & Eccles. lib. 1. Class. 4. cap. 10. num. 1. & Vitriar. in Inst. Jur. Publ. lib. 1. tit. 5. in fin.* Et quod Evangelicam fidem profitentes Imperatoriæ dignitatis haud incapaces sint, probat *modo cit. Limn. de J. P. lib. 2. cap. 2. n. 88. seq. atque Vitriar. cit. loc. §. 4.*

XXXIX. Ex prædictis facile judicari poterit, quid sentiendum de Schurzii in Man. Pacif. sententia, quâ quidem *quest. V.* omnes tres religiones iisdem prorsus Imperii juribus & beneficiis hodie gaudere existimat, ast Catholicorum religioni, utpote antiquæ & universali, per se & proprio jure prærogativam adjudicat. Antiquitatem namque Catholicæ Religionis præ Reformata & Lutherana non equidem in dubium vocaverim, si nuda saltem nomina intuearis; ast talem nominis antiquitatem Catholicis prærogativam seu jus quoddam præ aliis conciliare, illud est quod planè abnuo. Et exercitium religionis Protestantium soli permissioni Catholicorum adscribendum esse, nemo, credo, sibi persuadebit; Reformati siquidem & Lutherani libertatem doctrinæ soli Deo, neutiquam verò permissioni aliorum tribuunt. Atque hinc Augustanam Confessionem certo auctore, nomine, loco atque tempore circumscribere velle, impossibile maximè atque supervacaneum foret, authorem enim præter Christum fides illa nullum habet, unde & illam profitentes in nullius hominis verba aut nomen jurarunt, & tam latè se in universo hoc terrarum orbe diffundunt, ut certi cujusdam loci cancellis includi haud possint; neque etiam hodie demum aut nudius tertius confessio seu fides talis

calis exorta, sed à primis Christianismi temporibus repetenda est, quapropter brevî temporis spatiô istam nemo, credo, definiet. Ut autem talia de Reformatorum ac Lutheranorum religione *Schuzio & aliis* concedantur, per ea tamen veritati ejusdem nihil detraberetur; nam Christi quoque doctrinam primitus certo authore, nomine, loco, & tempore circumscriptam fuisse, indubium est, prout hoc ex plurimis S. Scripturæ locis colligitur *vid. Matth. 13. v. 55. 56. Joh. 6. v. 42. Conf. supr. cit. Heyd. Bor. Riccruntus in Not. ad alleg. Schuz. loc.*

XL. Sufficere posse credo, hæc de religionis paritate in genere præmisisse. In præsentiarum jam mihi probandum sumo, isthanc religionis paritatem in Augustissimo Camerae Imperialis judicio observandam esse; nè autem istud absque omni ordine & methodo fiat, sequenti secundo capite, de paritate religionis circa personas Camerales constituendas observanda, differam; de hinc in tertio capite paritatem circa personarum jam constitutarum officium, quantum possibile, atque vires patiuntur, indigitabo.

C A P U T II.

De Paritate Religionis in Augustissimo Camerae Imper. Judicio & primùm quoad personas illius constituendas observanda.

S U M M A R I A.

- | | |
|--|--|
| <p>I. Ante Pacem Relig. omnes personæ Camer. Catholicae erant, quod multis incommodis causam dedit.</p> | <p>III. Qua paritas in genere probatur ex R. 7. de anno 1555. §. 106.</p> |
| <p>II. Variis tamen Imp. Legibus paritas personarum sancita.</p> | <p>IV. Textus iste præceptivè intelligendus.</p> |
| | <p>V. Voci <i>mögen</i> significatus præceptivus aliquando tribuendus.</p> |

D 3

VI. Quod



- | | |
|---|---|
| VI. Quod probatur 1. ex O. C. p. 1. t. 3. §. 1. | inerviunt. |
| VII. 2. Ex Conc. O. C. p. 3. t. 34. §. 11. | XXII. De Personis ipsi iudicio Cam. inerviientibus. Ubi de Personis Cancellaria. |
| VIII. Verbum Potest apud Latinos in tali sepe significatu sumitur. | XXIII. Olim ha ex parte Evangelica fuere. |
| IX. Allegatum textum praeceptivè intelligendum ulterius probatur. | XXIV. Quid pace Osabr. de hisce actum. |
| X. Dubium quoddam resolvitur. | XXV. Paritas circa illas observanda ab ipsa equitate desumitur. |
| XI. In specie huius paritatis probatio suscipitur. | XXVI. Resolvuntur objectiones 1. quod ab Eminentissimo Moguntino Electore praedictae personae sustententur. |
| XII. Brevis personarum Cam. descriptio. | XXVII. 2. Quod libertas huius non sit restringenda. |
| XIII. De Iudice Cam. | XXVIII. 3. De antiqua possessione. |
| XIV. De Praesidibus. | XXIX. 4. Quod res haec exigui sibi momenti. |
| XV. De Assessores. | XXX. De Personis minus Principalibus extra Cam. inerviientibus. |
| XVI. Paritas circa hos perpetuo ac firmo fundamentò nititur. | XXXI. Paritas circa exercitium relig. in Cam. quoque observanda. |
| XVII. Saxo, ac Palatinus Electores Evangelicos Assessores praesentant. | XXXII. De Consiliariis Aulicis in Urbe Vienna circa hanc rem. |
| XVIII. Modica inequalitas, integro scil. numero completo, demonstratur. | XXXIII. In Camera hac res dubio caret. |
| XIX. Sepe dicta paritas etiam hodie & in omni numero, observanda. | XXXIV. Religionis exercitium hoc in Cam. liberum esse debet. |
| XX. Reformati quoque Assessores ante Instr. P. fuere. | |
| XXI. De Personis Cam. minus Principalibus quae litigantibus | |

§. I.

Olim quando Religio Evangelica magnum incrementum in Germania nondum sumserat, Summi huius S. R. Imperii Iudicii

Judicii personæ omnes Catholicæ erant. Ast quàm multis suspi-
 cionibus, imò diffidiis, hoc ansam dederit, superioris seculi hi-
 storiae & annales satis testantur. Imò hæc res eò tandem Prote-
 stantes impulit, ut in causis religionum istud iudicium, tanquam
 suspectum, recusarint. Quam recusationem in Camera anno
 1534. die 30. Januarii judicialiter exhibitam esse, ex Meurero no-
 tat Blum. in Proc. Cam. tit. 25. n. 12. Et Mindensium Syndicus,
 Georgius Scheffel/ anno 1538. suspicionis contra iudicium Cam.
 causas publicè, nomine Magistratûs & Civium dictæ urbis, No-
 tario atque testibus exposuit, desuperque recusationis instrumen-
 tum sibi confici curavit, quod legi poterit apud Hortled. de Caus.
 Bel. Germ. lib. 7. cap. 7. Cum verò Camera, eò non attentò,
 Civitatem Mindensem, ad Ecclesiasticorum ibidem utpote Acto-
 rum, instantiam, in bannum declararet, Saxo & Hassiæ Landgra-
 vius, suo atque aliorum Protestantium nomine, scriptum emit-
 tunt, in quo omnes Imperii Principes ac Ordines rogant, ut
 bannum contra Mindenses latum pro injusto habeant, neve illud
 exequantur; secus se sociorum injurias haud neglecturos. Extat
 hoc scriptum apud Hortled. cit. tract. lib. 7. cap. 19.

II. Postquam autem in variis Imperii Recessibus atque Instr.
 Pac. Westphal. saluberrimè cautum, ut non solùm Catholici,
 verùm Protestantes quoque, æquali utrinque numerò, ad iudi-
 cium illud vocentur, hinc per id multa incommoda, in Imperio
 cessare, nullum equidem dubium est. Verùm an illæ leges, in
 supremo hoc Imperii Tribunali generaliter & circa omnes ejus-
 dem personas, observentur, in præsentiarum videndum erit.
 Cùm itaque in superiori capite firmiter probaverim, in Imperio
 nostro paritatem religionis in omnibus attendendam esse, jam
 nemo mihi vitio vertet, si ex generali isthoc & immobili princi-
 pio, omnimodam religionis paritatem in iudicio quoque Cam.
 observandam, tanquam conclusionem, ultro fluere, demonstra-
 bo. Prius verò à Personis Cameralibus constituendis initium
 faciam.

III. Antequam autem ad singulas personas Camerales me con-
 feram, prius quoad omnes in genere probabo, circa illas coop-
 tandas

tandas religionis paritatem attendi debere. Textus hanc in rem satis manifestus est in saepe laudata *Pacificacione Relig. Rec. scil. Imp. de anno 1555. §. Als unter andern 106.* cujus integra verba heic subjicere non pœnitebit: *Als unter andern (scil. verglichen und entschlossen) daß hinführo der CammerRichter und Beyfiger / sämptlich und sonderlich / dergleichen alle andere persohnen des Cammergerichts / von beyden der alten Religion und der Augspurgischen confession præsentiret und geordnet werden mögen.* Idem repetitum legitur in *Ordinat. Cam. part. 1. tit. 3. §. fin. qui est §. 3. in Conc. Ord. Cam.*

IV. Textum autem hunc, sole aliàs meridiano clariorem, ideo, quod verbum *Mögen* in eodem reperiatur, saltem permissivè, à parte Catholicorum, intelligendum esse, ego quidem non video. Certissimum enim est, Constitutionem illam ideo factam, atque Pacis tabulis insertam, ut A. C. Consortibus in hoc puncto certum atque firmum jus acquireretur. Suadent hoc verba antecedentis §. 105. *Demnach haben wir samt der Churfürsten Râthen 10. uns mit ihnen verglichen und entschlossen / utpote ex quibus publica circa hanc rem inter Imperii Ordines, tam Evangelicos quam Catholicos, inita conventio liquido patescit.* Jus igitur hoc Protestantibus eò modò quæsitum, si propter dictam vocem *Mögen* permissionem, ex parte Protestantium, dicere velis, non equidem refragabor; permissum namque ipsis vigore prædictæ conventionis est, ut paritatem religionis circa personas Cam. ordinandas jure urgere possint. Ast Catholicos ad isthanc rem neutiquam adstrictos vel obligatos existimare velle, nemo jure dixerit; talî namque modò jus seu permissio quædam oriretur, cui nulla corresponderet obligatio, seu relatum evaderet absque correlato, res scilicet hæctenus inaudita.

V. Necquicquam autem in dicta voce *Mögen* præsidium sibi quidam stipulantur, nam utut haud diffitear, ejusmodi vocem sæpius permissivè saltem intelligendam esse, attamen non raro quoque istam ex propria atque genuina significatione necessitatem præcisam importare, nemo Teutonicæ linguæ vel in paucis peritus

ritus inficias iverit. Quomodo verò hoc discerni, & quando vis præceptiva dictæ voci attribui debeat, facilè est definire. Scilicet quoties res de qua agitur aliàs nullo gauderet effectu, vel inæqualitatem in se contineret, toties prædictum verbum *Mōgen* / præceptivum significatum induere existimo. Si igitur *in vit. textu R. 7.* vox talis permissivè saltem intelligenda, & ita tota hæc res soli Catholicorum arbitrio relinquenda esset, per id maximam inæqualitatem, & planè nullam efficaciam ex ejusmodi conventionem mutuo consensu inita, resultaturam quisquis deprehendere poterit.

VI. Nè autem isthæc, quæ de præceptiva dictæ vocis significatione in medium attuli, gratis dixisse videar, quædam loca ex quibus prædictus significatus clarè satis elucescit subjungam. Illud verò perquam facilè erit; statim enim *in alleg. tit. 3. Ord. Cam. & quidem in §. 1.* ejusmodi vox, præceptivum sensum continens, occurrit. Verba istius sequentia sunt: *deren Einer (scil. der Graffen oder Freyherren) des CammerRichters statt in seinem abwesen / oder so Er auß ehehafft verhindert / jederzeit verwesen oder vertretten möge.* De Præsidiis Cam. hæc sermo est, atque hos, absente vel impedito Judice, istius vices obire posse ibidem disponitur. Nemo autem, credo, erit qui isthæc de permissione quadam, non verò de obligatione Præsidium intelligere velit.

VII. Infinita ejusmodi exempla ex Recessibus Imp. atque Ordinatione Camerali adduci possunt. Unicum adhuc *ex Conc. Ord. Cam.* subnectere licebit. Verba præsentem materiam concernentia *in part. 3. tit. 34. §.* *Begeb sich auch II. hæc sunt: Wollen wir daß solche eingefallene impedimenta zur reproduction keinem appellanten nachtheilig seyn / oder einige desertion operiren / sondern die ladung nach endung der ferien von appellanten reproduciret, und darauff wie recht procediret werden mög.* Casus est de termino reproducendi citationem aliosvè Processus in feriis præterlapso; atque disponitur quod in hoc passu reproductio statim post finem feriarum fieri, atque dehinc, prout juris sit, in causa procedi possit. Hanc rem autem, propter vo-

E

cem

cem *Mögen* / voluntatis saltem, non verò necessitatis esse, nequaquam existimandum est. Cui enim indoles atque natura Processus, non dicam Summi in Imperio Dicasterii, sed iudicii cuiusdam inferioris, adeò incognita est? ut existimet Procuratores in allegato casu non præcisè obligatos esse Processus in prima statim, ut loquuntur, post ferias agendi facultate reproducere? Et quis adeo rerum expers est, ut in Processibus ejusmodi reproductis non necessariò prout juris est procedendum, sed, id meri saltem arbitrii esse, putare velit? Sed clara satis hæc sunt, quapropter pro dictæ vocis significatione corroboranda plura non profero.

VIII. Illud tamen adhuc probare forte non inutile erit, simili modo apud Latinos sæpius quoque verbum *Potest* (quod tamen voci *Mögen* / utpote majorem adhuc vim atque necessitatem inferenti, non æquipollet) talem significationem præcisam atque necessariam, pro ratione scilicet substratæ materiæ, induere. Quod non saltem ex probatissimis Latinis Scriptoribus, verum ex Pandectis quoque nostris, fusè satis commonstrare possem, si hac in parte prolixus esse auderem. Nè tamen solus paradoxa credere cuidam videar, aliquot veterum Jctorum in testimonium hujus rei adducam. Sic *Ang. & Raph. Fulgos. in l. 1. ff. de jurisd.* necessitatem præcisam dicto verbo secundum materiam substratam apertè satis adjudicant; Et *Bartolus* verbum istud in ultimis voluntatibus ad heredem relatum necessitatem præcisam importare, verè & rectè credidit *ad l. fideicommissa II. §. hæc verba 9. de legat. 3.* *Jason* quoque, ex veteribus non infimi subselli Jctus, significatum regulariter permissivum hujus verbi non equidem diffitetur, attamen præceptivam ejusdem vim multis exemplis atque limitationibus *num. 25. & seqq.* comprobat. Neque in jure nostro novum est verbum aliquod, pro substrata materia in alium atque præceptivum aliquando significatum degenerare; prout *Vinnius in Sel. Quest. lib. 1. cap. 43.* de verbo *Soleo* satis istud comprobat, *Conf. etiam Schrader. de Feud. part. 10. sect. 19. n. 197.*

IX. Sed quid tam aperti tamque clari textus explicationi multis im-

vis immoror; Authentica illius, ipsorum scilicet Imperii Ordinum, explicatio adest in *R. I. de anno 1557. §.* Weiter bey dem 32. ubi expressis verbis sequenti modo dispositum; Weiter setzen / ordnen / und wollen wir / daß derwegen der beyden Religion halben / vermög des Augspurgischen im fünf und fünffzigsten Jahr auffgerichteten abschieds (scil. §. cit. 106.) kein unterschied gehalten werden soll. Et quanquam textum hunc de praesentatione Assessorum, atque religionis paritate circa illam attendenda, saltem intelligendam esse dixeris, attamen nihil hoc obstat; nam ceteroquin textus hic satis declarat, dispositionem *R. I. de anno 1555. in alleg. §. 106.* necessitatem omnino inferre, neque rem isthanc soli Catholicorum arbitrio relictam esse. Ità enim saluberrima ista sanctio omni effectu destitueretur, prout in superioribus demonstratum est. Praestat igitur, imò necesse est, eò modò textum istum explicare atque interpretari, ut actus operetur potius aliquid, quàm ut frustraneus planè sit & inutilis.

X. Illud autem paritati circa constitutionem personarum Cameralium nihilquicquam officit, impossibile saepe esse, talem omnino tempore observare, in ejusmodi scilicet munere, quò unus saltem fungitur, quale est Judicis, Fiscalis, Praefecti Cancellariae &c. ad aequalitatem siquidem seu par duo ad minimum requiri, secus inaequalitatem seu impar evadere. Verùm & hisce non obstantibus ista quoque officia, quæ ab unica saltem persona administrantur, paritatem hanc exigere, nullum dubium est; non quidem simultaneè & eodem tempore, sed successivè, ità scilicet, ut in tali munere defuncto Catholico Evangelicus, Evangelico rursus Catholicus, atque ità deinceps surrogetur.

XI. In genere sic quoad omnes personas Cam. paritate firmata, non difficile amplius esse existimo, quoad singulas illas in specie intentionem meam probare, inprimis cum ex istis generalibus specialia etiam ultro profluant; quapropter faciliorè studiò atque operà rem hanc perficere licebit. A Summi vero Tribunalis istius Directore, Judice scilicet Cam., in praesentiarum ordiri licebit.

XII. Scilicet Personæ Camerales, quo nomine comprehendo eos, qui dicto judicio operam idoneè navant, sunt vel Primariae,

seu Principales; vel secundariae seu minus principales; ad illas Judicem, Praesides atque Assessores refero; de his autem infra agetur.

XIII. Judicem igitur Cam. quod quoad praesentem paritatis materiam attinet, nemo, credo, mihi vitio vertet quod de tali controversia atque negotio prolixè hic disputare plane recusem. Quamquam illud fortassis integrum erit, paucis scilicet attingere quid in Comitibus quibusdam eapropter tractatum sit. *Blunius in Proc. Cam. tit. 5. n. 6. ex Gylmanno* refert, quod Evangelici Status in Comitibus Ratisbonensibus de anno 1576. à Maximiliano II. Imp. petierint, ut in posterum semper Judex Evangelicae Religionis addictus alternativè cum Catholico constitueretur. Quid Osnabrugae inter Evangelicos atque Catholicos circa hanc rem ventilatum fuerit, ex *Lundorpio atque Dn. Pfannero* satis liquet; quantum autem tunc temporis circa hanc rem effectum sit, ipsum pacis illius Westphalicae Instrumentum satis edocet. Scilicet ad futura Comitibus ulterior de hoc deliberatio rejecta est. Verum in Comitibus istis secutis nihilquicquam circa hoc punctum dispositum esse *Rec. 7. de anno 1654.* abunde demonstrat. *Conf. Dn. Coccej. in 7. Publ. Prud. cap. 20. §. 31. p. m. 337. & Monzamb. de Stat. Imp. Germ. cap. 5. §. 2. ib. Dn. Thomas in Not. lit. e.*

XIV. Praesides vigore *Instr. Pac. art. V. §. Praeterea 52.* quatuor quidem oportebat esse, atque inter hos duos A. C. addictos. Ast hodie duo saltem istiusmodi officio praesunt. Paritatem tamen religionis circa horum constitutionem vi praedicti J. P. aliorumque Imperii Recessuum satis observat Imperator. Quapropter clarae atque aperta huic rei, de qua non amplius dubium neque lis superest, haud diutius immorabor.

XV. Assessores Judicii Cam. quod attinet, horum originem atque conditionem ex Jure Justiniano derivare, atque illos cum veterum Magistratum Rom. Assessoribus comparare velle, valde absurdum foret; isti enim, de quibus *in tit. ff. de Officio Assess.* agitur, qualitatem saltem Consiliariorum, minimè verò Judicum, habebant, unde *in l. 1. ff. de Asses. juris Studiosi* dicuntur. Ast nostrates Camerae Assessores in maxima ac summa juris dicendi facultate

facultate pollent, atque hinc, *Perpetui ac togati Romani Imperii Senatores Imperatorem atque Status representantes, in Ord. Cam. P. 1. tit. 8. in princ.* collaudantur. Cum igitur horum qualitas non aliunde, quam ex Constitutionibus atque legibus Imperii publicis explicanda sit, in presentiarum disquiram, quid ejusmodi leges circa religionem Assessorum determinaverint. Et hoc demonstratu valde facile est; siquidem, tum ex superioribus, tum ex *7. P. Art. V. §. 56.* manifestum redditur, circa constitutionem Assessorum paritatem utriusque religionis omnino attendendam esse; quod Schema presentantium in sequenti §. adducendum tam clarè confirmat, ut de eo amplius dubitare haud liceat.

XVI. Quo autem religionum hæc æqualitas circa Assessores presentandos observanda firmò atque perpetuò fundamentò nitatur, neque ab arbitrio quorundam Statuum à sua ad aliam religionem transeuntium pendeat, hinc in laudato Pacis Instr. atque Recessu Imperii novissimo salubriter disponitur, ex quam Religione quisque Statuum & Circulorum Assessorem presentare debeat. Sic vigore istius sanctionis vel conventionis Moguntinus, Trevirensis, Agrippinensis atque Bavarus, Catholicos Camere Imperiali, probandos, & in Assessores recipiendos, mittunt. Saxo autem Brandenburgicus, atque Palatinus ad Evangelicam religionem in presentationibus suis faciendis omni tempore adstricti sunt. Cæsar rursus Catholicum Collegio Cam. sistit. Atque eadem hæc in Circulis obtinent; nisi quod ex his quidam partim Evangelicos partim Catholicos presentare debeant, qui eapropter mixti Circuli vocari consuevere, quales sunt Franco-nicus, Suevicus, Rhenanus superior, atque Westphalicus; Reliqui vel solum A. C. addictos, vel etiam Catholicos tantum Assessoratûs Candidatos designantes, Simples Circuli cognominantur. Quo autem hæc eo melius intelligantur prædictum Schema presentantium heic subungere non injucundum duxi.

E 2 Schema

Schema præsentantium Catholicos
Assessores, ubi hodierni quoque
ex illa Religione Assessores
exprimuntur.

IMPERATOR	- - - 2	Hodie. Vacat.
ELECTORES		
MOGUNTINUS	- - 2	Dn. Jacobus von Bielefeld ju- ravit 4. April. 1698.
TREVIRENSIS	- - 2	Dn. Christoph Johan von Frie- senhausen jur. 19. Aug. 1667.
AGRIPPINENSIS	- - 2	Dn. Johann Henrich Daniel von Ritter jur. 19. April. 1680.
BAVARICUS	- - 2	Vacat.
CIRCULI.		
AUSTRIACUS	- - 2	Dn. Philippus Christophorus von Merle jur. 20. Jan. 1679.
BURGUNDICUS	- - 2	Vacat.
FRANCONICUS	- - 2	Dn. Michaël Carl Wigand jur. 24. Jan. 1698.
BAVARICUS	- - 4	Dn. Johannes Ferdinandus Früz jur. 4. Mart. 1668.
- Salvis tamen juribus Sta- - tuum Imp. A. C. addic- - tum qui sub hoc Circulo - comprehenduntur J. P. - art. V. §. ult.		
SUEVICUS	- - 2	Dn. Johann Adam Ernst von Pyrck jur. 21. Febr. 1687.
RHENANUS SUPERIOR	2	Vacat.
WESTPHALICUS	- - 2	Vacat.
Summa 26.		



Schema Præsentantium Assessores
 A. C. addictos, insuper illos, qui
 hodie ex illa religione Assesso-
 res in Cam. sunt, indicans.

ELECTORES | **Hodie.**

SAXONICUS	- - -	2	Vacat.
BRANDENBURGICUS	- - -	2	Dn. Matthias Zerneman juravit d. Ju. 1698.
PALATINUS	- - -	2	Dn. Christianus Philippus Brinck jur. 5. Martii 1688.

CIRCULI.

FRANCONICUS	- - -	2	Dn. Ulrich Thomas Lauterbach jur. 12. April. 1697.
SUEVICUS	- - - -	2	Vacat.
RHENANUS SUPERIOR	- - -	2	Vacat.
WESTPHALICUS	- - -	2	Vacat.
Alternando per hos qua- tuor Circulos	- - -	1	Vacat.
SUPERIORIS SAXONIÆ CIRC.	- - - -	4	Dn. Joachimus Andreas von Bernstorff jur. 3. Octobr. 1664.
INFERIORIS SAXONIÆ CIRC.	- - - -	4	Dn. Huldericus von Eyben jur. II. Martii 1678.
Alternando per hos duos Circulos	- - - -	1	Vacat.

Summa 24

XVII. Illud igitur paritati huic nihilquicquam officit, quod Elector Palatinus, Serenissimus nempe Princeps Neoburgicus Catholicam fidem profiteatur, nam, eo non obstante, à Serenissima tali Domo Evangelicum Camerae Imp. praesentandum esse, omni scrupulo caret; prout hodie Illustris Dominus Brinck à laudatissimo isto Electore praesentatus, atque jam diu à Camera receptus, Reformatae Religioni addictus est. Imò Palatinum, quovis tempore Evangelicos, & quidem Reformatos, continua serie praesentasse in sequentibus patebit. Sic quoque numero Evangelicorum in Cam. Assessorum nihilquicquam decedere potest, quod Serenissimus Saxoniae Elector ad Catholicorum sacra transferit; nam ab hujusmodi Electoribus futuro tempore praesentandos nihilominus Evangelicam religionem profiteri debere certissimum est; sicuti paucis ab hinc mensibus Evangelicus à dicto Saxoniae Electore praesentatus, sed propter alias atque peculiare circumstantias non admissus fuit.

XVIII. In eo tamen Catholici in iudicio Cam. circa hanc rem in antecessum quid habent, quod integro Assessorum numero completo Catholicorum 26. Evangelicorum verò 24. saltem forent, quod ex dicto schemate praesentantium haud obscurè colligitur. Verùm quicquid hoc sit, hæc inæqualitas publica lege, seu potius conventionem, nititur, quapropter ferenda est, præprimis cum exigui momenti ea sit; atque numerus iste quinquagenarius propter salariorum defectum nunquam, nè quoad dimidiam quidem partem, expletus fuerit.

XIX. De eo forte nemo credo dubitaverit, quocumque tempore paritatem hanc circa surrogandos Assessores attendendam esse, nihil enim ad hoc refert sive quinquaginta, quod quidem hoc praesenti rerum in Imperio Statu impossibile erit, sive longè pauciores Assessores in Camera inveniantur. Unde & hodie eandem æqualitatem inter praesentem numerum observandam esse existimo. Sed regeris fortè, *contrariam experientiam aliud docere*; Verum est, fateor hoc, non enim me latet, Catholicos Assessores hocce tempore septem, Evangelicos verò quinque saltem adesse; ast inæqualitas hæc non Catholicis, sed quibusdam Evangelicis

gelicis Principibus atque Circulis, præsentationes negligentibus imputanda, neque enim Evangelici à Catholicis desiderare poterunt, ut hi novam suorum præsentationem vel etiam receptionem tamdiu differant, donec & ipsi ad paritatem in præsentando vel recipiendo redigantur. Sicut etiam nullus, credo, Catholicorum desideraverit, ut Evangelici cujusdam præsentati receptio usque ad præsentationem & receptionem Catholici retardari debeat; nam & Catholicis in præsentando negligentibus Status vel Circuli Evangelici pergere poterunt, utut majorem Catholicis Assessoribus numerum sortiantur, quod uni enim parti justum est, alteri injustum esse haud poterit *Vid. 7. P. art. V. §. I. in fin.*

XX. Illud adhuc quærere liceat, *an Reformatis ante Pacis Os- nabrugensis tempora jus ac potestas competierit, ex sua religione homines Camera præsentare?* Dependet quæstio hæc ex illa, quam supra tetigi; *an scilicet ante Instrumentum Pacis Westphal. religiosa pacificatio ad Reformatos quoque pertinuerit?* Cùm igitur in superioribus affirmativam hujus satis demonstraverim; hinc facile patet, illam priorem quoque similiter affirmandam esse. Ad tollendum verò omne circa hanc rem dubium sequentem locum adducam. Johannes Crocius in der Summarischen Nachricht / daß die Evangelische / Reformirter Religion zugethane / niemahlen durch einmüthigen schluß verdamt 2c. p. 129. n. 250. sequentia affert. Im Jahr 1618. am 17. tag Aug. wird von ChurPfalz / Hansß Georg von der Brun zum Beyßiger am Kayserl. Cammergericht zu Speyer vorgeschlagen / auch ohngeachtet Er der Reformirten Religion öffentlich zugethan / von CammerRichtern und andern Beyßigern angenommen. Daß dann nichts neues gewesen / sintemahlen von zeit auffgerichteten Religionsfried / der gleichen viel Exempel vorhanden. Indehm Hartmannus Hartmanni ab Eppingen anno 1566. den 16. Febr. Nicolaus Cifnerus anno 1576. 7. Jan. D. Johann Wilhelm Bogheim anno 1580. 30. Maji. Luther Quad von Wickraden anno 1588. 16. Febr. D. Peter Denaisius anno 1590. 7. August. Adrian von Borell anno 1593. 11. Octobr. D. Frank Jugert anno 1615. 8. Nov. alle Religionsverwandten von ChurPfalz præsentiret / und durch
F
ordentliche

ordentliche wahl zu Beyſigern auff und angenommen. Quod igitur Reformati mox à Pacis Religioſæ temporibus ad Aſſeſſoratus munia admiſſi, & hinc pacis iſtius participes facti fuerint, ex loco hoc abundè, credo, pateſcit. Unde circa tam claram tamque indubitata rem plura non profero.

XXI. Tantum igitur de paritate circa perſonas principales in Camera attendenda. Jam quoque de perſonis ejuſdem minus principalibus ſeu ſecundariis quædam quoad hanc rem monenda. Hæ autem vel partibus litigantibus inſerviunt, vel ipſi iudicio Cam. Illi ſunt Advocati & Procuratores qui vel Fiſci vel aliorum Principalium cauſas obeunt. Atque, circa hos omnes eligendos atque conſtituendos ſæpe dictam religionis æqualitatem attendendam, omnî dubiô carere exiſtimo. In *Ordin. enim Cam. part. 1. tit. 18. qui eſt in Conc. tit. 30.* expreſſè ita ſancitum: *Mit denen (ſcil. Advocaten und Procuratoren) es der Religion haben/ wie hiebevorn von den Aſſeſſorn und Beyſigern geordnet auch zu halten.* Atqui de Aſſeſſoribus hæc paritas ſuperius apertè conſtituta erat.

XXII. Perſonæ ipſi iudicio Cam., præprimis verò iudicantibus, inſervientes præſtant operam in iudicio vel extra. Iſtæ, cum ut plurimum in Cancellaria munia ſua obeant, perſonæ Cancellariæ vocari ſuevere, quales ſunt Præfectus Cancellariæ, Proto-Notarii, Notarii, Lectores, Receptor taxæ, Nunciorum Magiſter, Ingroſſiſtæ, Copiſtæ, Famulus & Pedellus. Atque quomodo religionis æqualitati circa hæc perſonas conſtituendas ſtudendum ſit, jam ut diſquiratur ordo poſtulat. Equidem ſi quoad omnes Camerales perſonas utriuſque confeſſionis parificatio attendi debet, ſequitur & in his eam negligendam haud eſſe; illud verò *ex R. 7. de anno 1555. §. 106. & Ord. Cam. p. 1. tit. 3.* affatim demonſtratum fuit. Et certè grave foret imò maximis ſimulatibus obnoxium, ſolò religionis odiô contentivè ab ejuſmodi munere quempiam prohiberi. Quod Evangelicos Status in tractatibus Pacis *circa annum 1646.* hanc æqualitatem in perſonis ejuſmodi Cancellariæ urgentes ſatis inculcâſſe *ex Actis Lunnendorpii affatim conſtat. Conf. quoque Burgold. ad 7. P. part. 2. Diſc. 20. §. 14.*

XXIII. Ex

XXIII. Ex Guntheri quoque thesauro Practicantium circa annum 1608. edito observare licebit, quasdam Cancellariæ personas olim quoque A. C. addictas fuisse. Quod verò jam diu istud fieri desierit, hoc ferali atque funesto tricennali bello imputandum esse censeo. Ejusmodi tamen quid jus Evangelicorum, per sæpe cit. Constitutiones Imperii atque priorem observantiam quæsitum, tollere haud potuit.

XXIV. In Pacis igitur Westphalicæ tractatibus in hoc puncto emendatio Camerae petita, sed inter alias res deliberandas ad proxima tunc Comitia rejecta fuit, ceu patet ex *7. P. Art. V. §. 53.* Atque in illis scil. Ratisbonensibus de anno 1654. controversiam hanc denuo tractatam esse, satis testantur publica hac de re acta, apud *Lundorp. tom. 7. lib. 6. num. 222. 240. & seqq.* atque ea quæ adduxit *Dn. Pfanner. in Histor. Comit. lib. 6. §. 17. usque 19.* Verùm; cùm ex tredecim punctis ad memorata Comitia rejectis vix unicus iste de levamine debitorum obæeratorum decisus reperiatur, observante id *Excellent. Dn. Coccejo in 7. Publ. Prud. cap. 20. §. 30. & 31.* hinc præsens quoque de paritate dictarum Cancellariæ personarum neglectus, atque mediante Visitatione emendandus, Eminentissimo Moguntino Electori commissus fuit. Verùm visitatio hæc altò adhuc somnò composita quiescit, utut, istam mox fieri debere, rerum publicarum in Imperio gnari augurentur, atque istam ex longinquo adventantem jam modò prævideant.

XXV. Ut autem emendatio isthæc fiat, non necessarium saltem, verùm æquitati quoque maximè consentaneum, existimo, præprimis quando considero, quod memoratæ personæ omnes ferè ex Cancellariæ debitis, seu sportulis, salaria sua capiant. Nam cùm pecunias hæc non Catholici solùm, sed Evangelici quoque pro Processibus suis exsolvant, inæquale valde foret, hos ad officia ejusmodi Cancellariæ pari cum Catholicis numerò admittere nolle, societatis enim civilis ac Naturalis quoque juris regulæ id omnino dictitant, ut, quatenus quis onera sustinet, catenus quoque de commodis participare debeat.

XXVI. Hisce verò Cancellariæ taxis Eminentissimo Moguntino,

no, tanquam Imperii ArchiCancellario, ut prædictis personis indè salaria solvat, concessis, an jam ejusmodi personas sumtibus Moguntini ali capropter dici possit? Quæstio est, quæ, teste *Pfannero in Histor. Comit. lib. 6. n. 8.* in prioribus Comitibus agitata fuit. Circa quam me brevitatis studio ad dict. Pfanner. remitto, illud saltem addens; universum quoque Aulicum judicium à solo Imperatore sustentari; ast capropter tamen non solos Catholicos, sed aliquot etiam A. C. addictos Consiliarios ad Augustissimum istud Collegium vocari, prout hoc *ex 7. P. art. V. §. ac proinde* satis constat; ut taceam celebres quosdam JurisPubl. Scriptores, *inter quos Heerden im III. theil der Grundfest cap. 5. & in Consiliariis ejusmodi Aulicis veram religionis æqualitatem vigore cit. art. V. §. ac proinde statuere;* à qua tamen sententia cum aliis dissentit *Dn. Lyncker. in tr. de Gravam. extrajud. cap. 6. §. 28. n. 9. p. m. 550.* verùm rectène an secus, ego jam non dijudico.

XXVII. Paritas autem ista in Cancellariæ personis constituendis observanda Eminentissimi Moguntini libertatem nullatenus cohibet. Nam libertati cujusdam id nequaquam quid derogare censendum est, quod aliqui in hominibus ad quoddam officium eligendis publicam legem vel conventionem observare teneantur. Sic Cæsar quoque in Præsidibus Cam. constituendis religionis paritatem attendit, ast per id Imperatoris libertatem imminutam iri nemo dixerit.

XXVIII. Possessio autem Moguntini, qua hætenus personæ saltem Catholicæ ad prædicta Cancellariæ munera constitutæ sunt, æquitati atque juri hujus paritatis nihilquicquam officit. Nam quid hac in re de ejusmodi argumento à possessione desumpto sentiendum sit, supra jam satis demonstratum fuit. Et Moguntino equidem non possessio solùm, verùm jus quoque constituendi Cancellariæ personas ultrò conceditur. Ast solos Catholicos capropter saltem constituendos, & hinc religionis paritatem observandam non esse, illud est quod omnino negatur; neutiquam enim hic antiquum morem, sed recentium pactioum leges æqualitatem seriò inculcantes spectandas indubium planè est.

XXIX. Et has leges eò magis observandas esse putaverim, quod
multum

multum sæpe momenti in ejusmodi Cancellariæ personis situm sit. Equidem penes ipsas non est, sententias Assessorum suffragio conceptas aut abolere, aut in contrarium vertere; verum, ut alia taceam, haud difficile ipsis est incommodare, aut plus justo obsequi litigantibus, prout odiò, gratiâ, aliove affectu comparato trahuntur. *Vid. Dn. Pfanner. in Histor. Comit. lib. 6. §. 18. p. m.*

778. Quapropter quoad ejusmodi personas suspicionibus sæpe locus esse poterit. Hinc superiori seculo circa annum 1557. in Colloquio isto de fidei controversiis instituendo paritas religionis non solum circa personas principales observata; sed Notarii quoque ad ejusmodi negotium, æquali utriusque fidei numero constituti fuere, sicut *ex R. 7. de anno 1557. §. Diweil auch 18.* abunde liquet, atque in superioribus quoque adductum fuit.

XXX. Personæ minus Principales, Camerae extra judicium inservientes, vel honoratioribus officiis occupantur, ut Medicus Camerae, ac Quæstor ejusdem *der Pfeningmeister* / vel vilioribus, ut Nuncii, Rhedarius &c. Et circa has personas dicta paritatis principia locum quoque invenire, ex traditis facile colligi potest; hinc plura de hisce addere, prolixum saltem ac tædiosum quoque foret.

XXXI. Tantum igitur de paritate circa personas Camerales constituendas observanda dixisse sufficiat. Antequam verò huic capiti finem imponam, prius paucis subjungere lubet, qua ratione prædictæ personæ publico religionis exercitio in Camera frui debeant, & quomodo circa hocce exercitium paritas religionum quoque observanda sit. Sanè nequaquam sufficit circa constitutionem saltem personarum Cam. religionis æqualitatem ante oculos habuisse; sed necessarium quoque est, ut ejusmodi personæ, sic constitutæ, religionem suam in Summi istius Tribunalis loco palam profiteri atque exercere possint. Hoc enim saluber-
rimis Imperii Constitutionibus & præductis principiis paritatem exigentibus maximè conveniens est. Atque præterea ipsa necessitas illud efflagitat; nam nemo, credo, munera seu officia Cameralia subire desideraverit, ni quoque eidem libertas Deo publicè inserviendi concedatur.

XXXII. Ac de libero hoc religionis exercitio in Urbe Vienna Consiliariis Aulicis A. C. addictis concedendo, Principes & Status Evangelici, jam olim circa annum 1654. finitis scil. Comitibus, petierunt, dum inter alia hæc quoque Ratisbonâ Imperatori scripsere: Wir stehen darneben sehr an/ ob J. Kayserl. Maj. auff solche weise dero Reichs-Hoff-Rath mit Augspurgischen Confessions verwandten subjectis werden ersehen können/ dieweil jeder bedencken haben und tragen wird/ solche condition anzunehmen/ wen Er zu führung seines Christenthumbs die freye Religionsübung nicht haben solte: Und ob wol J. Kayl. Maj. allergnädigst zugeben/ daß außwertig der Evangelischen Religion zugethane außreisen dörfften/ welches gleichwol in wenig stunden/ ohn grossen unkosten/ beschwerliche un gelegenheit/ und empfindliche gefahr nicht wol zu geschehen möglich ist; So haben doch J. Kayl. Maj. Christlich zu ermessen/ wie solches in todes nöthen seyn könne/ zumahlen aber betrub- und unverantwortlich fallen werde/ ein oder andern agonisirenden ohn trost und gebrauch des H. Abendmahls elend- und erbärmlich hinsterben und abscheiden zu lassen. *Vid. Burgold. ad Instr. Pac. part. 2. disc. 20. §. 17. p. m. 219.*

XXXIII. Quod igitur iudicium Camerale circa hanc rem attinet, omni caret dubio Reformatis, Lutheranis atque Catholicis publicum religionis exercitium in civitate ista in qua laudatissimum Collegium commoratur competere: Quod uti legibus Imperii omnino conforme atque consentaneum; ita praxi quoque debitò modò observatur. Unde & Spiræ olim prædictarum trium Religionum ritus æquali jure viguere. Et hodie Wetzlariæ quoque Reformati, Lutherani & Catholici singuli publicò religionis exercitiò gaudent.

XXXIV. Verùm non sufficit publicum hoc religionis exercitium esse, sed insuper quoque necessarium est, ut istud liberum & continuum sit, atque hinc sub nullo unquam prætextu ab aliis impediatur. Quapropter facilè hinc judicari poterit, qua ratione nuperrimo tempore Senatus Wetzlariæ à Reformato Pastore jusjurandum, de concionando post translatam indè Cameram in
Gallico

Gallico idiomate, extorquere tentaverit, & recusantem Sacris ulterius peragendis prohibuerit. Non vacat autem in præsentiarum prolixius inquirere, utrum Reformatis translata à prædicta civitate Camera religionis exercitium in peregrina saltem, an verò etiam in patria lingua competat. Istud saltem pace prælaudati Senatûs Wetzlariensis addere licebit, ejusmodi ausus quibus Reformatorum Pastorem à suggestu arcebant, in personas Camer. ad minimum, nè de civibus dictæ civitatis dicam, iniquos fuisse; imprimis cum ita per tres ni fallor Dominicas dies, Assessores, Procuratores, & Practicantes quoque, Reformatæ religioni addicti publicò exercitiò carere coacti fuerint. Et certe actum foret de legibus atque constitutionibus publicis æqualitatem religionis & harmoniam tam sanctè inculcantibus, si, quoties cupido quædam innovandi aliquibus suboritur, toties quoque efficacia atque interpretatio legum publicarum ab arbitrio istorum pendere debeat. Quod inter alia isto tempore à Vasallo atque Ministro Potentissimi cujusdam Principis in literis eapropter ad quendam datis adductum fuit. Sed ulterius hisce non insisto, & caput hoc abrumpo, ad sequens de paritate circa personarum Cameralium jam constitutarum officium observanda deproperans.

C A P U T III.

De Paritate Religionis circa Personarum Cameralium constitutarum officium observanda.

SUMMARI A.

- | | |
|---|--|
| <p>I. DE Officiis Personarum Cam. in genere.</p> <p>II. De officio Judicis Cam.</p> <p>III. De Præsilibus.</p> | <p>IV. Præmittitur brevis descriptio officii Præsilibus.</p> <p>V. De modo hanc paritatem à Præsilibus observandi. Ubi adducitur</p> |
|---|--|

- | | |
|---|--|
| <i>adducitur aliorum opinio.</i> | <i>clesiasticas observanda.</i> |
| VI. <i>Quae rejicitur.</i> | XII. <i>Dubium resolvitur.</i> |
| VII. <i>Verior sententia ac modus probatur.</i> | XIII. <i>De Paritate circa Politicas causas observanda.</i> |
| VIII. <i>Illustratur haec opinio ex loco Schilteri.</i> | XIV. <i>Quid juris circa paritatem votorum.</i> |
| IX. <i>Dubium quorundam resolvitur.</i> | XV. <i>De minus principalium personarum in Cam. officio.</i> |
| X. <i>De Assessorum officio.</i> | XVI. <i>Conclusio.</i> |
| XI. <i>De paritate circa causas Ec-</i> | |

§. I.

Postquam ità in prioribus commonstratum fuit, paritatem religionis circa constitutionem personarum Cameralium omnino observandam esse, restat ut in praesenti capite brevibus attingam, quomodo eadem haec paritas in officio atque munere praedictarum personarum attendi debeat. Equidem officium ejusmodi non unicum sed diversum atque multiplex est; aliò namque Judex, aliò Praesides & aliò Assessores funguntur; aliud rursùm & varium Cancellariae personis incumbit officium, aliud aliis atque caeteris Camerae hominibus. Singula igitur haec percurrenda, &, quid in illis circa praesentem paritatis materiam obtineat, ostendendum.

II. De Judice autem, utpote primaria in Camera persona, nihilquicquam circa hanc rem in medium afferre possum; nam cum unus saltem ille in hoc officio constitutus sit, nec ullum in partem sui muneris adsciscat, hinc de paritate religionis in officio ipsius cum aliis celebranda quaedam differere velle, valde absurdum foret.

III. Ad Praesides igitur Cam. me jam conferam, &, quid quoad hos circa praesentem materiam juris sit, plenius disquiram. Ubi illud equidem indubium atque apud omnes in confesso est, aequalitatem religionis circa horum munus exactè observandam esse, eo enim sine pares ex utraque Religione, Evangelica scilicet atque Catholica, huic muneri praeficiuntur, ast de modo hanc paritatem

paritatem exercendi hætenus adhuc nihil certi definitum. Et in hodiernum adhuc durantibus Comitibus Ratisbonensibus hæc res inter Evangelicos atque Catholicos summo ventilatur opere; quapropter veniam à cordato lectore spero, quod, de ejusmodi controversia publica atque nondum decisa hæc aliquid definire, libertatem mihi sumam; nam, de ejusmodi rebus notissimis exercitii gratiâ quædam proferre, sinè dubio permissum erit.

IV. Antequam autem ulterius hæc provehar, non ingratum erit, in genere prius præmississe, in quibus Præsidentum Cameralium officium potissimum consistat, atque quid istis in muneribus suis specialiter incumbat. Breviter tamen & paucissimis saltem: Scilicet munus Præsidentum consideratur circa negotia, vel in Senatu vel in Audientia, perficienda. Ad illa institutionem, atque divisionem Senatuum, item distributionem Actorum, & Supplicationum, refero. Ad hæc verò quænam pertineant non adeò difficile est definire, potissimum autem istiusmodi muneris pars huc collimat, ut scilicet Præsides quandoque in Audientiis sedent, Procuratorumque desideria audiant, aliaque necessaria observent, de quibus prolixè videri possunt Cameralistæ, præprimis Rhodingius atque Blumius.

V. In ejusmodi igitur officio, qua ratione paritas religionis inter duos diversæ religionis Præsides commodè colenda sit, jam paucis videndum. Quidam existimant, non meliori viâ æqualitatem talem hæc constitui posse, quàm si Primus seu Senior ex Præsidentibus, sive Evangelicus ille sit, sive Catholicus, solus, exclusò alterò, cuncta observet, præprimis verò distributionem Actorum, utpote præcipuam muneris partem, exercent. Rationem namque maximè efflagitare, dicunt, isti saltem prædicta competere, qui Judicis vices gerit, has vero Seniori saltem ex Præsidentibus attribuendas esse. Deinde ex praxi quoque hanc sententiam indubiam & maxime expeditam reddi arbitrantur, ad exempla antea defunctorum Præsidentum provocantes.

VI. Verùm enim verò, æqualitatem isthoc modo circa memoratum munus observari debere, vix crediderim, quicquid etiam

G

de

de ratione & praxi hanc in rem affertur; nam quod illam attinet nego unum saltem ex Præsilibus vices Judicis gerere, ambos enim ad hunc finem constitutos esse Rhoding. in Pand. Cam. lib. 4. tit. 2. §. 20. confirmat; praxin non equidem abnuo, attamen ex illa idcirco nihil firmi probari potest, quod isti ab utraque, tam Evangelicorum quàm Catholicorum, parte, aliquoties contradictum fuerit. Et, paritate prædicto modo circa Præsilibus munus observanda, non video ad quid tunc duo Præsides uno eodemque tempore Collegio Camerali proficiant, tali enim modo unus saltem necessarius foret.

VII. Quapropter religionis paritatem inter duos Judicii Cam. Præsides in continua quadam ac æquali officiorum alternatione ponerem, ità ut alternis quisque vicibus sua munia præstet; quod in Conc. Ord. Cam. part. 1. tit. 18. satis quoque innuitur, & quidem hisce verbis: Dann diesen / dann jenen Præsidenten an seine Statt / da Er (scil. der CammerRichter) abseyn muß / zu verordnen. Atque in tit. 29. expressè hæc alternatio in Audienciis stabilitur: aber im sigen mögen die Graffen und Freyherren mit einander abwechseln. Et, olim Illustrissimum Comitem de Leiningen atque Baronem de Dahlberg, piè jam defunctos, alternis quandoque vicibus in Audienciis præsedisse, notissimum est.

VIII. Nè autem isthæc falsa aut vana cuidam videantur, heic quædam sententiam meam insigniter corroborantia subjungam. Dn. Schilterus in Inst. 7. Publ. tom. 2. tit. 19. producit Einea Unterthänigsten Bericht über den Zustand des Kayserl. Cammergerichts vom 9 Aug. 1675. In hac relatione p. 47. & seqq. circa officium sequentia habentur; Darbey dann wohl zu mercken / daß nachdehme des Herren CammerRichters Fürstl. Durchl. nach erlittenen Schlag und Lehmung dem Herren Baron Dahlberg (so auß der Rheinischen Ritterschafft / post magnam contradictionem omnium Comitum Wetteravix, von Kayserl. Maj. die Præsidenten stelle / novo exemplo, ut non Status, erlanget) das vicariat Judicis Cam. auffgetragen / Herz Præsident Graff von Leiningen / nicht allein dawider protestiret / und daß solches vicariat inter Catholicum & Lutheranum alterniren müsse behauptet /

ptet/ auch daß in der aufschwur und annehmung die Clausul
(auff eine zeitlang) eingerichtet worden zu wege bracht/ son-
dern auch einige der meinung seyn/ es könne anjeko in hoc vi-
cariatu Dalbergico einige definitiv Urtheil wieder einen Chur-
und Fürsten des Reichs propter textum O. C. P. 1. tit. XI. nicht
wohl eröffnet werden.

IX. Ejusmodi verò munus per vices exercendum impossibile
esse, ego quidem non video. Qui enim de Judicio Cam. ejus-
que forma aliqualem sibi comparavere notitiam, facilè isthoc
nullis difficultatibus obnoxium deprehendent. Nam quid, quæ-
so, impedit, quò minus Actorum judicialium distributio à Præ-
sidibus, singulis sententiarum publicationibûs, per vices fiat,
utut alii circa hoc maximas sibi formaverint tricas, nodumque
in scirpo quæsierint. In extrajudicialibus etiam Actis, ut &
Supplicationibus, inter Senatus Assessoresque distribuendis, Præ-
sides per singulas septimanas inter sese alternare posse, res ad
minimum in Camera indubia atque expedita creditur. Sic, ab-
sentibûs Præsilibûs, Moguntinus Assessor solus equidem dicta
extrajudicialia distribuit, ast præter Præsidem, Moguntino Asses-
sore quoque vel absente vel vacante, Trevirensis & Coloniensis
Assessores ambo circa distributionem extrajudicialium per singu-
las hebdomadas inter sese alternant. Verum circa rem indubiam
atque claram me non amplius detineo.

X. Ad alia igitur transeo, atque quid circa Assessorum officium
in paritatis hoc puncto considerari debeat jam ostendere animus
est. Ubi non opus equidem esse existimo, heic operosius in mu-
nus Assessorum inquirere, siquidem nulli incognitum esse potest;
officium eorundem in jure dicendo consistere, quapropter eos
sæpe Judices Richter item Urtheiler appellari, ex Conc. Ord.
Cam. part. 1. tit. 19. §. 1. & part. 3. tit. 63. §. 12. atque aliis locis,
observare licet. Hæc verò jus dicendi facultas sese exserit vel
circa causas Ecclesiasticas vel Politicas; easque vel Statuum atque
Immediatorum Imperii, vel Privatorum & Mediatorum. Qua-
tenus verò in singulis hisce decernendis atque decidendis paritas
religionis inter judicantes observari debeat, paucis ostendam.

XI. Causæ itaque Ecclesiasticæ si inter diversæ religionis Evangelicæ scilicet & Catholicæ Status vel immediatos in Camerali judicio ventilentur, tum illas, adlectis ex utraque religione parâ numerô Assessoribus, discuti atque judicari debere in *7. Pac. Os-nabr. Art. V. §. ac proinde 54.* sancitum est, *Conf. quoque Denais. de Jur. Cam. sub Rubr. de Mandat. super pac. Relig. p. m. 252.* Utrum verò paritas hæc judicantium ex officio, vel demum ad instantiam cujusdam partis, à Judice Cam. constituenda sit, quibusdam dubium creditur. Prius generalitati J. P. & veritati quoque magis consentaneum est, & *Deckherus etiam in Consult. de Pac. Civ. Rel. Germ. data cap. 63. n. 5.* eò inclinare videtur. Atque in tantum hæc procedere existimo, ut paritas hæc non saltem tum demum observari debeat, si definitiva quædam sententia in prædictis causis Ecclesiasticis pronuncianda sit, verùm tum quoque, quando de formando ad exhibitas supplicas Decreto, seu decernendis Processibus, agitur, utut *Decker. cit. loc.* hanc paritatem in decernendis Processibus minus necessariam reputet; sed quàm verè, alii judicent.

XII. Ast absurdum quis dixerit de causis Ecclesiasticis in Camera disceptandis quædam in medium hæc protulisse, cùm extra omnem dubitationis aleam positum, atque omnibus notissimum sit, circa ejusmodi lites jurisdictionem Cameralem haud fundari, Blumius enim in *Proc. Cam. tit. 43. n. 19.* ad causas non spectantes ad Cameraam expressè quoque spirituales & Ecclesiasticas refert; idem fecit *Ummius in Proc. Judic. disp. 4. th. 13. Mynsing. I. O. 100. Limm. de 7. P. lib. 9. cap. 2. n. 192. atque alii.* Verùm salva res est, dummodo inter causas Ecclesiasticas discrimen atque distinctio fiat. Causæ ejusmodi, si privatos concernant, tunc nequaquam cognitioni judicii Cam. subsunt, sed vel ad Consistoria Principum Evangelicorum, vel ad judicia Ecclesiastica Catholicorum spectant. Ast, quando ejusmodi lites inter Imperii Status vel immediatos maximè diversæ religionis ventilantur, illo casu Cameraam in istis forum competens esse, ego quidem nullus dubito; ut ecce si inter duos Imperii immediatos, quorum unus Evangelicæ, alter Catholicæ religioni addictus est, de patronatus

tus

tus jure, vel de decimis seu de alia re Ecclesiastica controversia oriatur, de ejusmodi causa sententiam ferendi Camerae potestas competere debet; quod *Instr. Pac. cit.* §. 54. *Art. V.* aperte satis innuit.

XIII. De causis politicis in Camera tractandis, ut quaedam circa hanc rem adferantur, ordo postulat. Et haec, si inter diversae rursus religionis Evangelicae scil. atque Catholicae Status agitantur, paritatem judicantium ex utraque religione requirere in *7. P. alleg.* §. 54. *art. V.* sancitum est. Quem textum integrum hic subjicere licebit, eo magis cum de Judicio quoque Aulico quaedam quoad hanc materiam contineat. Verba haec sunt: *Cæsareaque Majestas mandabit ut non solum in isto Judicio Camerali Causa Ecclesiastica, ut & Politica inter Catholicos & Augustanae Confessionis Status vel inter hos solos vertentes, vel etiam quando Catholicis contra Catholicos Status litigantibus tertius interveniens Augustana Confessionis Status erit, & vicissim quando Augustana Confessionis Status contra ejusdem Confessionis Status litigantibus tertius interveniens erit Catholicus, adlectis ex utraque religione pari numero Assessoribus, discutiantur & judicentur, sed idem etiam in judicio Aulico, observetur, huicque fini aliquot Augustanae Confessionis doctos & rerum Imperii peritos viros, ex iis Imperii Circulis ubi vel sola Augustana Confessio vel simul etiam Catholica viget religio, adsciscat, eo quidem numero ut eveniente casu paritas judicantium ex utraque Religione Assessorum observari possit. Idem etiam quoad paritatem Assessorum observetur, quoties Augustanae Confessionis Status immediatus à mediato Catholico vel immediatus Catholicus à mediato Augustanae Confessionis Status judicio convenitur. Dispositionem vero hanc ad istas saltem politicas causas, quæ reflexionem quandam ad interesse qualificatum religionis habent cum Deckher. in *Consult. de Pac. Civ. Rel. Germ. dat. cap. 63. n. 5.* haud restringerem, sed eam de omnibus ejusmodi causis indistinctè intelligerem. Qui enim affectus mortalium quo suae religionis hominibus quidam præ aliis favent norunt, facile intelligunt quam tutum sit in omnibus ejusmodi causis paritatem ex utraque religione judicantium desiderare. Quod verò æqualitas illa tunc*

locum non inveniatur, si causæ ejusmodi inter privatos agitentur, istius ratio haud obscura est; tales quippe lites privatorum raro tanti momenti esse solent, quam Statuum controversiæ, neque etiam tanta suspicio favoris circa easdem decidendas militat. Hoc tamen inter lites hæc Politicas atque Ecclesiasticas Statuum interesse existimo, quod in illis paritas judicantium non ex officio, sed ad instantiam demum partium constituenda sit, quod in hisce secus esse supra monitum fuit.

XIV. Illud tractandum adhuc restat, quid juris sit, quando ex utraque religione æqualiter sumti Assessores inter se in dirimenda lite convenire nequeant, si scil. paria eorundem evadant vota. Equidem, in ejusmodi casibus, civiles seu politicas causas suffragio Judicis Cam. dirimendas esse, *Decker. cit. loc. n. 29. seq.* opinatur, quod scil. lites finem aliquando sortiri possent, atque de hoc casu intelligit textum in *Conc. O. C. part. 2. tit. 38. §. 1.* Dessen sich CammerRichter und Beysißer in pleno consilio gemeinen Rechten nach nicht vergleichen können. Verum in hoc ipsi adstipulari nequeo Judici enim Cam. in causis ejusmodi decidendis, paritate scil. votorum obveniente, votum competere vix mihi persuadere possum; neque etiam *cit. ex Conc. O. C. locus ejusmodi* quid innuit, utpote de illo saltem casu explicandus, quando de causis quibusdam, publicum Camerae Statum concernentibus, in pleno consultandum veniat, v. g. si de translatione Camerae in alium commodiorem locum agatur. Quod igitur casum paritatis votorum attinet, certissimum est, causas ejusmodi sive Civiles sint, sive Ecclesiasticæ, ad Comitiam remittendas, ibique Imperatoris ac Statuum suffragio dirimendas esse; quod praxi quoque ita observatur. Sic in causa *Bürgermeister und Rath der Stadt Speyer contra Dechanten, Capitul, und gemeine Pfarheit daselbsten* in Camera paria Assessorum vota de decernendis vel denegandis Processibus adfuere, quapropter in hunc qui sequitur sensum decretum fuit: *Mögen supplicanten Ihre nothurfft ob sie wollen vermög Osnabrückischen Friedenschlusses Art. V: §. 20. vers. Visitatio Consilii Aulici auff künfftiger gemeinen Reichsversammlung vor- und anbringen.* In consilio d. 23. Aug.

23. Aug. 1659. *Vid. Deck. cit. loc. Conf. quoque Lehman. in Act. Publ. p. 3. c. 29. Denais in Jure Cam. cit. supr. loc. & Schilter in cit. dissert. de Termino à quo rest. bon. Eccles. §. 3. p. m. 4.*

XV. Tantam de paritate religionis circa principalium personarum munus in Cam. observanda dixisse sufficiat. Superesset equidem, ut de minus principalium personarum officio pauca quoque adducerem. Verum operæ pretium haud esse existimo, de istis circa præsentem materiam multa afferre; inprimis cum ejusmodi personæ religionis æqualitatem in obeundis suis muneribus haud difficulter colere possint. Et Cancellariæ personas, Proto-Notarios maximè atque Notarios, per vices suis officiis atque muneribus facili modo fungi, atque ita paritatem alternando observare posse, nemo dubitabit, dummodo saltem circa constitutionem ejusmodi personarum paritatis regulæ attendereentur.

XVI. Plura igitur addere haud lubet, sed finem jam mihi statuo. Ad te tamen antequam concludam prius me converto Lector benevole, obnixè te rogans, ut isthæc quæ pro ingenii mei viribus de ardua hac materia hîc tibi sisto candido judicio suscipere velis. Censuræ enim tuæ modo æquus sis atque ingenuus hæc pagellas lubens submitto.

SOLI DEO GLORIA.

F I N I S.

177


Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

SOLI DEO GLORIA

177

24





Duisburg, Diss., 1661-99

(1)

ULB Halle

3

004 527 046



Sb

107



B.I.G.

Farbkarte #13

6.2. num. 34. g.

G U R A L I S
A

1699

25

L I G I O -
I S S I M O
D I C I O
D A.

U M I N E.

T A T E
ni

D I N I S,
urgica, quæ
oret

ous, Privilegiis
solenniter

ni submittit

U M M E R M A N,

ocoque consuetis.

E N U M,
ia Typographi,
X.

KOENFRIED
UNIVERS
ZVHALLE

